BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
A
44
NAPOLI

XXXIV. O.76

XLIX XLIX
A A.
44 AA

~~HH-VI-43~~ R

VERA SINENSIUM SENTENTIA DE TABELLA

Confucio, & Progenitoribus inſcripta,

Cum ulteriore Expoſitione, & Informatione de Factis Sinenſibus controverſis,

Secundum PP. Societatis JESU;

Adverſus novam allegationem Textuum Sinicorum factam preſertim ex Tractatibus PP. FF. Dominici Navarrette, & Franciſci Varo Dominicanorum, &c.

§§§§§§

ANNO M.DCC.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAP.

XLIX-A-44

MONITUM
AD LECTOREM.

I. HAbes hîc, Lector, velut Summam Controverſiarum de Ritibus Sinenſibus, quæ hoc quidem tẽporis magno cum impetu magnaque verborum copiâ à quibuſdam agitari cœptæ ſunt. Nam eò demum redigi videntur omnes contentiones, ut Tabellam ferè unam impetant, quæ nominibus Confucii, & Progenitorum pro gentis more inſcripta exponi Sinis ſolet ad venerationem: ita ut ea ſemel diruta atque deſtructa, concidat actutùm tota cauſa Sinenſis, quæ & illa ſtante ſtet tota, atque ſarta tectaque permaneat. Quare operæ pretium viſum eſt fore, ſi huiuſmodi Tabellæ negotium ſpeciatim tractandum defendendumque ſuſciperetur: idque adeo in principio hujus Opuſculi peragitur.

II. Verùm, quia res eſt cum Adverſariis, quibus non ſatis eſt argu-

mentis contra ſe adductis convinci, niſi & illa diſſolvantur, quæ ipſi in contrarium attulerint: ideò poſt ſtabilitam propriis argumentis famoſæ Tabellæ cauſam, ſua etiam alienis argumentis, quæ nuper quidem prodiere, diſſolvendis opera dabitur in Parte hujus operis poſteriore; ut aliquam illi etiam hac in re ſatiſfactionem habere queant. Atque id ſcilicet eſt, quod ſub nomine Ulterioris Expoſitionis, ſeu Informationis de factis Sinenſibus controverſis ſecundum PP. Societatis propoſitum eſt.

III. Ubi ſcilicet non nova facti expoſitio ſuſcipitur; ſed ejus, quæ jam antea edita fuit, nova ſolùm declaratio, ac confirmatio exhibetur, ex occaſione novorum Textuum, & authoritatum in contrarium nuperrimè allegatarum efformata, ita ut ex hoc & præcedenti ſcripto Jeſuitarum, unum jam velut integrum ſcriptum exiſtat ad legitimam rei, de qua agitur, notitiam aſſequendam comparatum.

IV. Cæterùm Authores, ex quorum Tractatibus compactum eſt Scriptum, quod huic ulteriori Jeſuitarum Expoſitioni occaſionem præbuit, non alii ferè ſunt, quàm Patres FF. Franciſcus Varo, & Dominicus de Navarrette, ambo Dominicani: quaſi ſcilicet ita excellerent duo iſti Authores in eruditione Sinica, ut omnium inſtar eſſe poſſent, ac deberent.

V. Ita ſaltem, quantum quidem ad Varum ſpectat, judicaſſe videtur Editor, aut Traductor excerpti nuper italicè impreſſi ex Tractatu, quem ille hiſpanicè compoſuiſſe dicitur de Ritibus Sinenſibus. Nam hæc ibi leguntur in Præfationem ad Lectorem pag. 3. *Tra le altre coſe faticò aſſai nello ſtudio della lingua Chineſe, e de'ſuoi libri; come appariſce da queſto ſuo Trattato, e dall'atteſtato del Rev. P. Philippucci della Compagnia di Giesù, il quale diſſe più volte, che non ci è mai ſtato Miſſionario alcuno nè della ſua Compagnia, nè degli altri Ordini, il quale habbia ſa-*

puto con tanta perfettione le ceremonie di que' popoli. Ideſt : *Inter alia plurimùm P. F. Varus inſudavit in ſtudio linguæ Sinicæ, & librorum Sinenſium; uti conſtat ex hoc ipſius Tractatu, & ex teſtimonio R.P.Philippuccii è Societate Jeſu; qui ſæpiùs dixit nullum unquam extitiſſe Miſſionarium nec è ſua Societate, neque ex aliis Ordinibus, qui tam perfectè calluerit populorum illorum cæremonias*.

VI. Elogium ſanè magnificum, tametſi paucis verbis comprehenſum; quod etiam haud parum commendaret, ſi verum eſſet, probitatem laudatoris : ut qui tantas laudes Adverſario tribuere non eſſet gravatus, ut eum Suis etiam omnibus ſuperiorem feciſſet. Verùm qui illud vel ex utroque iſto capite ſuſpectum eſſe debere dixerit, is à vero non multùm aberraſſe videbitur.

VII. Quidquid verò id ſit. Refutatur hoc elogium 1. Quia teſtimonium illud P. Philippuccii, quod hîc

hîc adducitur, eſt omninò ſuppoſitum; uti ſunt pleraque Adverſariorum monumenta. Neque enim ulla profertur authoritas, qua innitatur aſſertio tam ſplendida, tamque immenſa: quaſi verò hoc debeat eſſe iſtorum hominum privilegium, ut quidquid libeat dicant, ac ſic fidem obtineant, quam Jeſuitis adhibendam non putant, tametſi inſtrumenta maximè authentica proferant, ad ea confirmanda, quæ in medium adducunt; uti ferè in omnibus facere conſueverunt.

VIII. Refutatur 2. quia longè aliam fuiſſe P. Philippuccii exiſtimationem de eruditione Sinica Patris F. Vari conſtat ex propriis ſcriptis P. Philippuccii, quorum originalia ſervantur in Archivio Romano Societatis cum propria Authoris ſubſcriptione. Nam ex ejuſmodi documentis potiùs, quàm ex verbis temerè jactatis afflictiſque, nemo eſt qui neget propriam cujuſque ſententiam exquirendam eſſe.

IX. En igitur, quid de Patre

F. Varo ſcripſerit P. Philippuccius in Opuſculo, cui titulus eſt: *Sagitta retorta*; & cui in fine appoſita eſt ſubſcriptio Authoris Macai, die 13. Auguſti 1683. In principio quidem dicit ſe de hoc Authore tria iſta ſolùm vidiſſe hactenus: Nimirum *Compendium Manualis ſacrarum precum Sinicè conſcriptum, & duobus parvis tomis comprehenſum*: *Authore*, inquit, *vel potius Exſcriptore P.F. Franciſco Varo ex Ordine Sancti Dominici*. Item *Opuſculum Sinicum, cui titulus eſt*, Pien Ci, *hoc eſt, juxta ejuſdem Patris Varo, qui illud confecit, intelligentiam, Diſputatio de Sacrificio*; ſed juxta propriam, & veram Sinarum intelligentiam, *inquit Pater Philippuccius*, titulus ille ſignificat vel, *Diſputatio de litera* Ci, *vel Diſputatio de obſequioſis muneribus*. Ac demum dicit ibi Pater Philippuccius fuiſſe conſcriptum à P. Fr. Franciſco Varo Tractatum de Sinicis Controverſiis hiſpanicâ linguâ, ſed ejus tantùm fragmenta hactenùs ſe aſſequi potuiſſe. X. Omiſ-

X. Omiſſis porrò in præſenti iis, quæ Pater Philippuccius in duobus illis prioribus P. Fr. Vari Opuſculis reprehendit, juvabit tantiſper videre, quomodo eruditionem ejus Sinicam ſugillet in iis, quæ Varus in ſuo Tractatu de Sinicis Controverſiis ſcripſit. Nam & is Tractatus eſt, cujus *Extractum*, ſi qua fides Editori, vel Traductori habenda ſit, in linguam italicam converſum in lucem nuper exiit, cum magnifico elogio, de quo nunc agitur.

XI. Itaque P. Philippuccius in *Sagitta retorta*, Quæſito 100. §. 19. ubi retulit, quæ P. F. Varo dixit de explicatione Sinicarum vocum *miao*, & *Cu tam*; ita ſubdit: *Hæc P. Varo, qui hac univerſali negativa propoſitione non tantùm immanem protulit falſitatem, ſed ſibimet, ſuæque apud alios exiſtimationi inſanabile vulnus inflixit. Quid enim de illius peritiâ, quàm ex Sinicorum librorum lectione haurire debuerat, judicabitur, cum in eiſdem libris contra*

tra dicti Patris aſſertionem plurimæ paſſìm teſtimonia etiam à non quærentibus inveniantur.

XII. Tum §. 20. ita loquitur P. Philippuccius: *Idem* P. Varo *in eodem Tractatu, ubi explicat Sinicam literam* Xim, *citat Sinenſe Vocabularium nomine* Cu luy; *ejuſque textum perperàm mutilat, intelligit, atque declarat. Integrum Sinici Vocabularii textum, & hunc eundem à P. Varo diminutè citatum, ut ſimul conferantur, ad marginem appono, &c.* Et paulò inferiùs ita pergit P. Philippuccius: *Hactenus verſio Patris Varo. In hac verſione idem Pater, ut cætera taceam, dupliciter errat: 1. Quia textum detruncat, licet id quod omittit, ad rem, de qua agit, pertineat: 2. Quia id quod vertit, graviter pervertit.*

XIII. Item §. 21. ſic ait P. Philippuccius: *Iterum P. Varo aliud Sinicum vocabularium nomine* Cu iun Cu cao *malè percipit, & interpretatur.* Et infra: *Verùm P. Varo prædicti quidem vocabularii ſuperiùs ad-*

adductum textum in noſtrum idioma transferre profitetur , atque conatur ; in margine tamen , non prædictum textum , ſed alium , neſcio unde deſumptum , apponit ; & quod pejus eſt , ipſius verſio cum neutro textu concordat . Rurſus , *Radix*, inquit , *hujus erroris eſt , quia ipſe vim literæ* Fan *non intellexit . Hæc enim in præſenti textu non ſignificat* peccare , *ſeù* malum patrare , *ſed recto , & ſimplici naturæ ſtatui* ſe reſtituere : *quod à Commentatore* Chu hy *in citato loco Mentii explicatur per literam* Fò , *quæ* redire , *vel* reſtituere *ſignificat , &c.* Ita ſcilicet ſcribebat ſentiebatque P. Philippuccius de eruditione Sinica P. Fr. Vari : quæ quomodo conveniant cum elogio eidem affictò , erit affingentis examinare : præter illa quæ ex eodem Patre Philippuccio proferentur in toto decurſu hujuſce ſcripti adverſus textus ex Varo adductos ; ubi prava illorum intelligentia ſingulatim declarabitur .

XIV. Sed & æquum eſt, ut ali-

quid attexatur de eruditione Sinica Patris Fr. Navarretæ, de qua certè non minorem videntur Adverſarii exiſtimationem præſetuliſſe: ut qui illum hactenus perpetuò in ore habuerint, ſæpiuſque citarint, cum adjecto etiam interdum *Magni cognomine*, quique demum illum unà cum Varo opponendum judicarint omnibus Jeſuitis, ipſiſque etiam Dominicanis, qui Jeſuitis conſenſerunt. Itaque videtur & ſuper hoc etiam audiendus eſſe P. Philippuccius, ad quem Adverſarii ipſi pro Varo ſuo provocarunt; cum is non minorem curam operamque in indagando Navarretæ ingenio, ac doctrina poſuiſſe videatur. Nam & de hoc ipſo agit P. Philippuccius in *Sagitta retorta*, Quæſito 100. ſupra citato à §. 13. ad §. 18.

XV. Ibi ergo ante omnia notat P. Pilippuccius, quomodo *Pater Fr. Dominicus Nav. rretta in* Tractatu Epiſtolari *de Sinicis Controverſiis in Cantonienſi Reſidentia confecto, & P. Vice Provinciali Vice-*

Pro-

Provinciæ Sinenſis Societatis, in eadem Reſidentia ſimul commoranti, oblato 18. *die Aprilis, anni* 1668. *dum agit de Quæſitis à noſtro Patre Martino Martinio apud Sacram Romanam Curiam propoſitis, ubi hic Pater affirmat in politicis muneribus à Sinenſibus Confucio oblatis nullum intervenire* Sacrificulum, vel idolorum ſectæ Miniſtellum, *P. F. Navarrete ſenſum illarum vocum* Sacrificulus, *&* Miniſtellus *non percipit; adeoque illas voces* parvum Sacrificium *ſignificare putavit. Sic enim ille inquit num.* 23. *Tertia interrogatio, utrum id, quod ſupradictum eſt (de iis, quæ Confucio offeruntur) quidque in illo loco (ideſt, Aulâ Confuſii) peragitur, ſit* Sacrificulus, *aut* Sacrificium, *& quid illi ad hoc deſit? Non percontor, an ſit* Sacrificulus, *aut* Miniſtellus *duarum Sectarum, quæ à Sectâ literariâ diſtinguuntur, nempe Sectarum colentium Idolum* Foe, *&* Lao cu: *Si hoc aſſerere voluit R. P. Martinius in iis verbis, quæ ſuperiùs al-*

lata ſunt , verum dixit ; Literati enim (Sinenſes) *ſuos ritus cum duarum Sectarum ritibus non permiſcent : hoc autem ad noſtram non attinet quæſtionem . Tantùm interrogo circa id, quod dictum eſt , an ſit* Sacrificulus , *aut* Sacrificium , *&* *quid illi deſit , quin ſit tale ; ſicuti ſunt cætera , quæ Idolis offeruntur ?* *Hactenus P. Fr. Navarrete , qui pro eodem ſumit nomina* Sacrificii , Sacrificuli , *&* Miniſtelli ; *ac ſi eſſent omninò ſynonima . Hinc Sole clariùs patet , quàm parvam fidem hic Pater in Sinenſibus libris interpretandis , & in quæſtionibus , quæ ex hujuſmodi verſionibus dependent , agitandis mereatur . Qui enim in vulgarium latinarum vocum intelligentia , quam ſibi poterat facillimè comparare , tam turpiter errat ; quomodo in ſibi ignotæ , & difficillimæ linguæ textibus in Europæum idioma vertendis non ipſum putabimus erraturum ?*

XVI. *Idem Pater Fr. Navarrete in ſua Hiſtoria Sinica , quam anno* 1676.

1676. *Matriti typis vulgavit*, *Tractatu* 3. *cap.* 11. pergit P. Philippuccius, *quadraginta octo literas Sinicas data opera declarat, earumque etymologiam, & ſenſum enucleare contendit. In peculiari autem Tractatu oſtenſum eſt, in pleriſque earum vel enormiter hallucinatum fuiſſe, vel ex proprio, & arbitrario ſenſu, non autem Sinenſium Scriptorum, eaſdem explicaſſe*.

XVII. *Præterea in Tractatu* 4. *ejuſdem Hiſtoriæ idem Pater Navarrete librum Sinenſem* (*cui titulus eſt*: Mim Sin paò Kien, *ideſt*, Pretioſum ſpeculum ad cor illuminandum) *in Hiſpanum idioma convertit. Circa hoc alter etiam Tractatus confectus fuit, ubi plurima, & graviſſima ejuſdem errata omnium oculis ſpectanda ſubjiciuntur; ad utrumque Tractatum evolvendum, curioſus Lector remittitur. Inter cætera verò, quæ ibi referuntur, notatu digniſſimum eſt, Patrem Fr. Navarrete in dicto Sinico libro plurima loca inveniſſe, quibus ad evi-*

den-

dentiam probatur , Sinenſes veram Divinitatem , Deique attributa , quæ naturali lumine percipi poſſunt , agnoſcere . Hos autem plurimos Sinicos Textus idem Pater , vel omninò ſupprimit , & infideli involvit ſilentio; vel illos ex mente , ſeu potiùs ex voluntate intelligere nolente Sinenſium Atheiſtarum , ridiculè , & ineptiſſimè interpretatur . Sed de hoc puncto modò ſatis . Hic tantum ejuſdem Auctoris quatuor ſolemnes lapſus in Sinicorum textuum interpretatione admiſſos infra proponuntur .

XVIII. *In prӕcitato Sinico libro* Pretioſi ſpeculi , &c. *cap.* 11. *invenitur textus , cujus ſenſus fideliter translatus hic eſt* : Homo , cum in terram trium cubitorum longitudinis nondum ſe receperit ; ideſt, cum noudum mortuus , & terræ mandatus fuerit : ſi difficile eſt illi vitam ſervare . Cum hominis corpus in trium cubitorum terram ſe receperit , ideſt , cum mortuus , & ſepultus fuerit , difficile eſt illius ſe-

ſepulturam per centum annos intactam ſervari. *Hactenus Sinenſis textus. Pater Navarrete in dicto Tractatu* 4. *ſuæ Hiſtoriæ Sinicæ, pag.* 226. *columna* 1. *n.* 5. *à verſu* 9. *ad* 12. *eumdem textum ſic interpretatur*. Maritus, & Uxor certos habent ſeptem terræ palmos. Facilé non eſt multis annis vitam ſervare. *Ad hanc ſummè ridiculam interpretationem* riſum teneatis amici. *Sufficiat tantummodò ſeſquipedalia illius errata diſtinctè cognoſcere.* 1. *Cum P. Navarrete Sinicum textum non intellexerit, minorem tantùm ejus partem transferre auſus eſt.* 2. *Literas Sinicas valdè vulgares, & lectu facillimas nullatenus agnovit; ideoque unam pro alia ſumpſit, & interpretatus eſt: putavit enim literam* vi, *ideſt*, nondum, *eſſe literam* Fù, *ideſt*, Maritus. *Item ſecundam literam textus, quæ eſt* Quey, *ideſt*, ſe recipere, *ſeù* reverti, *cenſuit eſſe literam* Fù, *ideſt*, Uxor; *adeoque cum transferre deberet*: Cum nondum ſe receperit, *interpretatus*

hac verſione optimè infertur, apud P. Navarretam idem eſſe cor miſericors, *&* cor rapax; *idem* furto abripere aliena, *&* ex proprio corde virtutis divitias auferre. *Quid mirum igitur, ſi idem Pater politicum cultum defunctorum apud Sinas; ſuperſtitioſum, & idololatricum facit?*

XX. *Capite* 16. *dicti* Pretioſi ſpeculi, *textus habetur, cujus genuinus ſenſus hic eſt*: Homines amantem, cuncti ſemper amant: Honore homines proſequentem, omnes honorant. *Pater Navarreta hunc textum ſic transfert in eodem Tractatu pag.* 238. *col.* 1. *num.* 5. Si homo ſit humanus, & urbanus, ſibi viam aperit, ut ubique terrarum liberaliter excipiatur. *Oh! fideliſſima, & numeris omnibus abſoluta interpretatio.*

XXI. *In eodem* Pretioſo ſpeculo *cap.* 17. *hic Sinicus textus debita fide translatus invenitur*: Verbum à probo viro prolatum, eſt (veluti) velox equus ferulâ percuſſus. Ver-

bum ſtatim ac ex ore prodiit, eſt (ſicuti) Quadriga, quam aſſequi, & retrahere difficile eſt. Sanè decet non temere ex ſe initium dare ſermoni. Princeps ſive Rex, & Magnates ejus ſubditi, eò ipſo quòd ad invicem (in verbis) fideles non ſunt, Regnum pace non fruitur. *Hactenus Sinicus textus. P. Navarrete loco citato pag. 239, col. 1. nu. 2. prædictum textum ſic vertit*: Unum tantùm verbum ab homine prolatum, tantam habere vim debet, ut nunquam illi non ſtetur. Verbum ex ore prolatum omnimodè ſervari par eſt; & ideò priùs meditari quod promittitur oportet. Magnates, & Principes viros non ſtare promiſſis, hoc eſt ſuum ſtatum, & dignitatem prorſus obſcurare. *Hactenus Pater Navarreta. Ex his paucis, quæ de hoc Patre hic retuli, facilè colligitur, quàm intoleranda licentia, & nullo ad textum reſpectu, Sinicos ipſe libros interpretetur*. Ita Pater Philippuccius de eruditione Sinica PP. FF. Varo, & Navarrete.

XXII. Certè, ut dicatur quod res eſt, videntur duo iſti Authores, Varo & Navarrete (quos quidem ex quodam angulo Provinciæ Fo-Kienſis Imperii Sinarum, ubi morati ſunt, Adverſariis placuit Romæ producere, tanquam arbitros Sinenſium controverſiarum) habere ſe tanquam duo quidam Rurales Parochi, qui linguam latinam, aut etiam græcam utcumque ſcientes, adhiberentur in arbitros controverſiarum, quæ moveri à Philoſophis ſolent ſuper Ethica, aut Metaphyſica Ariſtotelis, propter diverſos ſenſus, quos idem Textus habere poteſt; cum tamen ad id munus rectè obeundum requiratur & accurata linguæ, in qua libri ſcripti ſunt, peritia, & profunda rerum, de quibus agitur, intelligentia. Quàm enim modicæ fuerint dotes iſtæ in Authoribus, de quibus agitur, pro rebus Sinenſibus, ſatis indicat ſpecimen ex Patre Philippuccio proximè adductum. At major etiam fides huic dicto fiet, ut ſperatur, ex

iis quæ in ſequentis Declarationis decurſu proponentur.

XXIII. Neque leve interim fuerit pro hac cauſa præjudicium apud æquos rerum æſtimatores, quod Varus ipſe nos docuit in fine operis ſui *De Ritibus Sinenſibus*; ubi ſcilicet juxta fidem Editoris ita legitur: *Doppo d' haver ſcritti queſti Trattati, un Letterato delli Padri della Compagnia chiamato* Ambrogio *compoſe un Libro, nel quale ſpiega li Teſti, e autorità, che in eſſi cito, in ſenſo oppoſto, é à favore dell'opinione contraria*. Ideſt: *Poſt ſcriptos hoſce Tractatus, Literatus unus ex Neophytis Patrum Societatis JESU, nomine* Ambroſius *Librum compoſuit, in quo Textus, & authoritates, quæ in his à me adducuntur, explicat in ſenſu oppoſito, & in favorem opinionis contrariæ*. Quem enim non permoveat iſta Vari confeſſio, ut ſuum ſaltem aſſenſum ſuſtineat inter advenam impugnantem, & indigenam propugnantem; ubi de re agitur, quæ tota dependet ex pro-

pria

pria tùm inſtitutionis, tùm linguæ apud ſolum indigenam uſitatæ notitià. Neque porrò Varum juvat quod ſubdit: *L' andare rivolgendolo per impugnarlo, lo tengo per tempo perſo, ed è* proceſſus in infinitum. Id eſt: *Velle ſe ad illum (Ambroſii librum) impugnandum convertere; id ego puto eſſe operam perdere, & eſt proceſſus in infinitum*. Nam & ſic loqui ſolent, qui nihil habent quod reſpondeant. Utinam ad manum eſſet tam appoſitus Ambroſii Liber, quo Varus ita refellitur, ut oſtendatur non ſolùm Textus, & authoritates, quas adduxit, nihil facere pro ejus ſententia, ſed etiam *pro contraria ſtare*. Quod quid aliud eſt, quàm Varum propriis armis vincere, ac de ejus infantia Sinica triumphare, palam faciendo illum adeò non intellexiſſe linguam Sinicam, ut *in ſenſu oppoſito contrarioque* intellexerit.

VERA SINENSIUM SENTENTIA DE TABELLA

Confucio, & Progenitoribus inſcripta.

QUÆSTIO.

An Cultus, qui à Literatis Sinenſibus exhibetur Confucio in ſua Tabella, ſit aliqua ex parte idololatricus.

§.1. Qui id aſſerunt, iidem tribus hactenus viis quamvis inter ſe oppoſitis inceſſerunt. Nam primò quidem contenderunt ſimpliciter Confucium habe-

ri colique à Literatis Sinenſibus, tanquam Numen quoddam, ſeu Deum. Ita D. Nicolaus Charmot in (*a*) Memoriali, quod eſt dictum *Veritas facti*, apud Eminentiſſimos Cardinales concludebat: *Quid poteſt expreſſius deſiderari, ut conſtet Confucium, tanquam aliquod Numen à Sinis coli?* Tum Author Apologiæ Dominicanorum, pag. 38. *Fruſtra*, inquit, *nobis objiciunt, qui pro Jeſuitis conſcripſere Apologias, non agnoſci Confuciū in China ut Deum... nunquid enim eo ipſo Deus agnoſcitur, quod ei ſacrificatur, &c.*

§. 2. Secundò iidem poſtea dixerunt Confucium non coli quidem à Sinis ut Deum, ſive ut Numen quoddam; ſed coli tamen ut Sanctum vera ac propria ſanctitate; utpote tanquam exiſtentem in Cælo, ac fungentem munere Protectoris, ſeu Interceſſoris apud *Xam ti* ſupremum Numen à Sinis creditum habitumque. Ita in primis Dominus Charmot iis contradicens, quæ antea

(a) *Hiſt. Cultus Sinenſ. pag.* 403.

tea aſſeruerat ; & id quidem cum aliqua ut videtur oblivione , qua factum eſt ut parumper excandeſcens , hæc protulerit in ſuis Diſpunctionibus , (*b*) ſi tamen ejuſdem Authoris fuerit utraque ſcriptio : *Res falſas , & abſurdas mihi , ac Reverendiſſimo Domino Maigrot affingunt Patres Societatis , ut nobis inſultent , & tanquam proprio conſcientiæ judicio condemnatos traducant . Nunquam diximus Confucium à Sinis literatis ut Deum , Majoreſque ut Numina coli .* Atque idem ibidem in eo totus eſt , *ut quemadmodum Ritus , quibus Chriſtiani colunt B. Virginem , Angelos , aut Sanctos , etſi illos non venerentur ut Deos , non deſinunt eſſe religioſi ; ita licet Confucius , & Majores non ſint apud Sinas Idola (ideſt Numina) inde concludi non debeat ritus , & cæremonias ad eos colendos adhiberi in China ſolitas , non eſſe religioſas adeoque ſuperſtitioſas .*

§. 3. Eamdem viam ſecutus eſt Au-

(b) *Hiſt. Cultus Sinenſ. pag. 296.*

Author Relationis ad Sacram Congregationem Particularem in 1. quæſito ſuper 4. articulo, ubi hæc habet: *Ratio dubitandi eſt reſpectu Confucii, quia Secta literaria, quæ primas obtinet in Imperio, Confucium non ſolùm uti Magiſtrum, verum etiam uti Sanctum colere videtur*. Quod & ibidem probare conatur ex voce *Xing* tributa Confucio, unà cum aliis quibuſdam antiquis; *de quibus*, inquit, *expreſſis verbis in claſſicis Sinarum libris dicitur, quòd poſt mortem in Cœlum evolarunt, & in Cœlis poteſtatem habent favendi hominibus, eoſque etiam Sinenſes antiquitus ut Sanctos venerati ſunt, & hactenus celebrant ut tales*.

§. 4. Tertiò, denique eò devenere Adverſarii, ut dicerent in hoc poſitam eſſe totam cultus Confuciani malitiam, quòd licet Sinæ literati, cum ſint Athei, non attribuant ullam Divinitatem, aut Sanctitatem propriè dictam Confucio; tamen credunt ejus animam in aera ſub-

ſubtiliſſimum reſolutam, venire ad Tabellam ejus nomine inſcriptam, per invocationem, quæ fit in ejus cæremoniis; atque inde beneficos influxus erga offerentes, adſtanteſque provenire per motionem quamdam ſympathicam: quemadmodum inſinuatum fuit in Relatione ad Sacram Congregationem Particularem, ubi agitur de oblationibus; quæ fiunt in honorem defunctorum Progenitorum. Ita ut proinde tam Tabella Confucii, quàm reliquorum mortuorum, ſit apud Sinas velut quoddam idolum; quatenus ex Sinarum inſtitutione eſt velut ſpecialis quædam ſedes deſtinata ad excipiendos aereos illorum ſpiritus, qui per motionem ſympathicam venire creduntur, quando invocantur, ad fruendum oblationibus; ex quibus ſimiliter creduntur per motionem ſympathicam provenire felicitates temporales offerentibus, aliiſque adſtantibus, qui ritè diſpoſiti fuerint.

§. 5. Iis ergo in præſenti relictis, quæ ſpectant ad duos illos prio-

priores modos idololatriæ Confucianæ, in Divinitate ſcilicet, & Sanctitate illi attributa fundatæ: quæ quidem ſatis ſuperque refutata à nobis alibi eſt, & quam nunc tacita confeſſione refutaſſe videntur Adverſarii, dum ad hunc tertium modum duobus prioribus oppoſitum recurrunt: nunc oſtendendum breviter incumbit, tertium iſtum modum, non magis quàm duos illos priores ſubſiſtere: quanquam & quæ dicentur contra tertium, contra duos priores perinde valebunt.

ASSERTIO.

Tabella Confucii non creditur à Sinis communiter eſſe deſtinata ad recipiendum aereum Confucii ſpiritum, ex quo proveniant felicitates offerentibus; neque ut talis ab ipſis colitur.

§.6. PRo primo Argumento eſſe poſſet mira illa Adverſariorum inconſtantia, & contradictio,

ad

ad probandum cultum Confucii eſſe idololatricum , dum illum modò ut Deum coli aſſeruere ; modò id negantes , dixerunt eumdem coli ut Sanctum , in Cælo exiſtentem , & interceſſorem apud ſupremum Numen *Xam ti* ; ac rurſus id negantes , ut omnes Literatos Sinenſes, tùm novos , tùm antiquos , facerent Atheos omni Dei notitia deſtitutos, dicere non dubitarunt , quemadmodum paulò ante indicatum eſt , totam demum cultus Confuciani idolatriam in hoc poſitam eſſe , quòd crederent Literati Sinenſes Tabellam Confucii eſſe deſtinatam ad recipiendum aereum Confucii ſpiritum; ex quo provenirent felicitates offerentibus ; & quod illam ut talem colerent , &c. Quis enim non videat eâ demum ratione in auras abire , ac velut evaneſcere totam illam accuſationum , & impugnationum molem ab Adverſariis congeſtam ?

§. 7. Verùm omiſſo ejuſmodi Argumento probatur Aſſertio omni-

nibus illis argumentis, quibus jam probatum eſt nihil peti, neque ſperari à Confucio in cunctis oblationibus, ac cæremoniis, quæ in ejus honorem fiunt à Literatis coram ejus Tabella. Nam inde manifeſtè conſtabit non credi à Literatis, quòd ſpiritus Confucii ullo modo veniat ad Tabellam, ut inde felicitates communicet offerentibus; ſive per ſympathiam ſpirituum, ſive quacumque alia ratione id explicari placuerit. Siquidem qui abſolutè negat quidquam peti. quidquam ſperari a Confucio; tam id negat quoad prætenſam illam ſpirituum ſympathiam, quàm ſecundum aliam quamcumque rationem, ut per ſe patet.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex D. Lopez Dominicano.

§.8. EX allatis autem Argumentis primum ſit Authoritas Illuſtriſſimi Gregorii Lopez ex Ordine Sancti Dominici, natione Sinen-

nenſis, qui & primus fuit inter Sinas Sacerdos, & Sinarum Epiſcopus; & qui cum vitam totam in iſtis ritibus, & controverſiis examinandis impendiſſet, jam ſeptuagenario major, amplum de iis Tractatum miſit ad Innocentium XI. anno 1686. pro terminandis, ut ipſe ait, controverſiis iſtis: cui proindè & ratione originis, & ratione magni muneris ſibi à Sancta Sede impoſiti exploratiſſimum eſſe debuit, quod ſuper hac re fiebat à ſuis & popularibus, & parochianis. En quàm expreſsè loquatur ille §. ultimo ſui Tractatus: *De Confucio quoque dico, quòd quamvis Sinæ eum Sinenſium omnium virtuoſiſſimum credant, non tamen ab eo petunt quidquam, ſperantve*: Et paulò inferiùs: *Confucium quod attinet, dico, non tantùm veteres, ſed & modernos, ac præſentes, nequaquam ab eo petere, aut ſperare quidquam, exceptis qui ſupra, & nonnullis ludimagiſtris infimæ notæ hominibus, &c.*

§. 9. Atque idem in eodem Tracta-

ctatu cap. 4. expreſsè, & fusè probat *falſum eſſe in hanc opinionem Sinenſes veniſſe, ut exiſtiment Progenitorum defunctorum, adeòque etiam Confucii animas, præſentes in Tabellis adeſſe, aut eò ſe ſiſtere, dum ipſis ſoliti honores exhibentur*: adductis in eam rem pluribus textibus Librorum Sinicorum, qui videri poterunt in Libello nuper impreſſo, ad eam Propoſitionem: cui libello titulus eſt: *Excerptum ex Tractatu D. Gregorii Lopez*. Ac videtur certè viri hujus teſtimonium pluribus aliorum teſtificationibus pręferendum: accedente præſertim confirmatione Domini Nicolai à Leoniſſa, de qua infra.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex P. Sarpetri Dominicano.

§.10. SEcundum Argumentum petitur ex Rev. P. Fr. Dominico Maria Sarpetri Dominicano, & Miſſionario Sinenſi ſtudioſiſſimo,

ac peritiſſimo ; uti conſtare poteſt ex tot Scriptis, & Tractatibus, quos de hiſce controverſiis ſcripſit ; & in quibus ſententiam, ac praxim Jeſuitarum perpetuò defendit. Ecce quomodo loquitur ille in Tractatu nuper impreſſo *De uſu Cæremoniarum Sinenſium*, pag. 34. n. 6. *Quin & argumentum Patres Societatis ex eo deducere poſſunt, quòd apud hujus ætatis Literatos multùm graſſetur Atheiſmus. Atheos enim neque Confucio ſuo Magiſtro, neque Progenitoribus cultum ullum religioſum exhibere patet. Longè illi abſunt ab eo, ut credant ſpiritus vel ſumere quidquam ex appoſitis cibis ; vel* adeſſe illis tabellis, *quibus nomen inſcriptum eſt, &c.* Idemque paulò inferiùs pag. 36. *Si Doctores*, inquit, *& Literati Sinæ tam antiquis Miſſionariis, quàm recentioribus dixere, quod eos dixiſſe conſtat, has voces* Xinco, *&* Xin quei, *quas tùm uſurpant cum* orationem ad has tabellas *dirigunt, per* metaphoram uſurpatas intelligi debere ; *non video*

deo cur iis non habeatur fides. Nam & in re qualibet ſtari debet non rudiorum, ſed peritiſſimorum virorum exiſtimationi, ac judicio. Et planè ridiculus cenſeretur, qui cum ad aliquod Collegium ſe contuliſſet, ut exponeret conſcientiæ caſum aliquem, non conſuleret tamen eos quos conſtaret eſſe peritiſſimos harum rerum; vel ita conſuleret, ut nollet reſpondentibus credere; iiſque neglectis, ac ſpretis Oſtiarium aut Coquum adiret, &c.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex D. Nicolao à Leoniſſa Franciſcano.

§. 11. TErtium Argumentum ducitur ex Teſtimonio Illuſtriſſimi D. Nicolais à Leoniſſa, qui planè aſſenſus eſſe videtur omnibus, quæ dicta fuere ab Illuſtriſſimo Lopez in Tractatu citato, quatenus ſub ejus finem habetur ſcriptum manu propria ipſius Reverendiſſimi à Leo-

niſſa, quòd *hic Tractatus fuerit per eum in meliorem formam redactus, & auctus.*

§. 12. Idem inſuper in Reſponſis datis ad puncta Eminentiſſimi Cardinalis Caſanate, Puncto 38. ſic ait ad rem præſentem: *Li Letterati conforme alla loro dottrina atheiſtica, non pare, che ſperino coſa alcuna da Confucio; però non oſtante ſuſſiſte quanto hò riferito in queſta materia nella riſpoſta, che hò dato alli Punti inviatimi da Monſig. Sperelli Aſſeſſor del Sant' Officio d' ordine della Sacra Congregatione.*

§. 13. Tùm verò in Reſponſis ad Puncta Sacræ Cōgregationis Particularis ſuper 4. Puncto, licet dixerit certius eſſe, quòd Sinæ credant ex ſolitis oblationibus, quæ publicis legibus in Ritualibus præſcriptæ ſunt, provenire felicitatem, & proſperitatem: ſubdit tamen *non ita facilè decidi poſſe, utrum credant illam felicitatem concedi ab illo (ſcilicet à Confucio) cui fit oblatio*, an à Cælo, an verò ab alia

cau-

cauſa naturali per certam quamdam motionem, ac correſpondentiam, quam fingunt Literati Atheiſtæ: *Poiche i Dottori Chineſi ſon così confuſi, e varii frà di loro in ſpiegarlo, che non è così facile il deciderlo per l'una, ò l' altra parte; e ci ſono un gran numero di Teſti ne' libri Chineſi, e claſſici* pro utraque parte, *come ſarà già noto in coteſto Sacro Tribunale per le Scritture preſentate da diverſi Miſſionarii.*

§. 14. Quæ cum ita ſint ex tam expreſſa confeſſione Domini de Nicolais, rogatur qua ratione fieri jam poteſt, ut pro certo habeatur, aut ſupponatur, quod aſſeritur ex allegatione quorumdam Textuum pro una parte, quando agnoſcitur eſſe pro parte altera non minorem Textuum numerum; idque ad ipſo Impugnatore agnoſcitur: qui etiam negare non poteſt longè majorem eſſe numerum, & authoritatem eorum, qui contrariæ ſententiæ adhæſerunt.

§. 15. Legatur & alia confeſſio

ejuſdem Illuſtriſſimi Domini de Nicolais in iiſdem Reſponſis ad Puncta S. C. P. ad punctum illud 4. ubi dicit *raram , aut nullam eſſe oblationem , Confucio factam*, in qua petatur ab ipſo directè aliquod bonum, *per quanto*, inquit, *hò potuto leggere , e ritrovar ne' Libri , e Rituali Chineſi* . Et paulò inferiùs : *Nelle due offerte ſolenni ſopradette non hò trovato petitione , ò ſupplica di beni , e felicità , che ſia almeno chiara , e diretta à detto Confucio.*

§. 16. Certè ſi nuſpiam in Libris , & Ritualibus Sinenſibus inveniatur clara , & expreſſa bonorum petitio ad Confucium directa , etiam pro duabus oblationibus ſolemnibus, quæ illi fiunt ; ſignum eſt evidentiſſimum , quòd nulla omninò petitio ad illum dirigatur , ſeu fiat ; cum ſciatur minutiſſima quæque ad eas oblationes expreſſa eſſe , & explicata in Libris Sinenſibus , ac præſertim Ritualibus . Tùm de aliis cæremoniis minùs ſolemnibus quid credendum ?

§. 17. Non ergo oratur ſpiritus Confucii, ut veniat in Tabellam, etiam per modum ſpiritûs aerei ad felicitates inde per ſympathiam communicandas offerentibus : adeòque nec ejus Tabella à Sinenſibus colitur, uti ſedes ejuſmodi ſpiritus phyſicè, & realiter, & non ſolùm repræſentativè ibi exiſtentis.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ex concordia Dominicanorum cum Jeſuitis in Cœtu Cantonienſi.

§.18. QUartum Argumentum petitur ex communi conſenſu omnium Dominicanorum, & Jeſuitarum, quotquot erant in China, anno 1668. tempore cœtûs Cantonienſis, quando ſcilicet novemdecim Jeſuitæ cum tribus Dominicanis, & uno Franciſcano, ex mandato aliorum Dominicanorum, qui alibi intra Chinam remanſerant, convenerunt in ipſo exilii loco, ubi

pro fide relegati ſimul degebant, ut Praxes quaſdam diſcuterent, & ad plura ſuffragia ſtatuerent, ad ſervandam inter ſe uniformitatem. Quo tempore, & loco conſtat (uti videre eſt in Libello nuper impreſſo, cui titulus eſt: *Acta Cantonienſia*) fuiſſe ab illis admiſſum articulum 41. qui ſic habet: *Circa cæremonias, quibus Sinæ Magiſtrum ſuum Confucium, & Mortuos venerantur, ſequenda omninò ſunt Reſponſa Sacræ Congregationis Univerſalis Inquiſitionis à Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro VII. approbata anno Domini 1656. quia fundantur in valdè probabili opinione, cui nulla contraria evidentia opponi poteſt. Quâ poſitâ probabilitate, non eſt occludenda janua ſalutis innumerabilibus Sinis; qui arcerentur à Chriſtiana Religione, ſi prohiberentur ea facere, quæ licitè ac bona fide facere poſſunt: & non ſine graviſſimis incommodis prætermittere cogerentur.*

§. 19. Patet autem eos, qui id ſta-

ſtatuerunt , non credidiſſe Tabellam Confucii à Literatis Sinenſibus haberi , colique tanquam Sedem realem ſpiritus aerei Confuciani , à quo per ſympathiam felicitates provenirent offerentibus . Atqui illi erant Miſſionarii omnes Sinenſes ex omnibus Imperii Provinciis collecti , inter quos plerique erant provectæ ætatis , quibus adeo communes Sinenſium mores , & uſus non poterant non eſſe perſpectiſſimi . De conſenſu autem ſupradicto Dominicanorum cum Jeſuitis conſtat ex inſtrumentis authenticis , quæ habentur in Archivio Romano Societatis, & quorum copia data eſt Illuſtriſs. Domino Aſſeſſori S. Officii.

QUINTUM ARGUMENTUM.

Ex P. Joanne de Paz Dominicano , cum Relatione ſuorum .

§.20. Quintum Argumentum petitur ex iis , quæ ſcripſit im-

impreſſitque Manilæ circa annum 1680. P. Joannes de Paz , ex Ordine Sancti Dominici cum licentia ſuorum Superiorum , ipſiuſque etiam Archiepiſcopi ex eodem Ordine aſſumpti , & cum approbatione trium Theologorum Dominicanorum : ubi ſcilicet *juxta relationem ſuorum Religioſorum in China habitantium , declarat notum eſſe, quod in China non exhibetur reverentia Confucio, niſi ut Magiſtro , nullam agnoſcendo in eo Divinitatem , aut poteſtatem .* Ergo non colitur ejus Tabella ut Sedes ſpiritus Confuciani , qui eò venire credatur , ut felicitates offerentibus communicet cum poteſtate utique communicandi , per motionem ſympathicam , &c. Ponderetur , quæſo , illa Dominicanorum Relatio , quam hîc atteſtatur P. Joannes de Paz , & quæ tot teſtimonia continet omni exceptione majora .

SEX-

SEXTUM ARGUMENTUM.

Ex Riccio, Trigautio, Furtado, &c. antiquioribus Miſſionis Sinicæ Patribus.

§.21. SExtum Argumentum deſumitur ex P. Matthæo Riccio Maceratenſi, Fundatore Miſſionis Sinenſis, quem conſtat in literis, & uſibus Sinenſibus peritiſſimum fuiſſe, & propter laborem improbum, quem per annos plurimos in eo ſtudio poſuit, & propter magnam conſuetudinem, quam habuit cum innumeris totius Imperii Literatis, quos de his conſulebat. Ecce quomodo loquatur in ſuis Commentariis italico idiomate, & manu propria ſcriptis jam ante annum 1610; uti aſſervantur in Archivio Romano Societatis. Lib. 1. cap. 10. poſt deſcriptas oblationes, quæ fiunt defunctis Progenitoribus, ſic ait: *Nè per queſto penſano, che i Morti venghino à mangiare le dette coſe,*

ò che

ò che habbino biſogno di eſſe, mà dicono far queſto, per non ſaper altro modo, con che moſtrino l'amore, e grato animo, che anno verſo di loro. Et paulò inferiùs: *Conciofiacoſa che nè loro riconoſchino in queſti Morti neſſuna Divinità, nè gli chiedano, nè ſperino da eſſi niente, ſta tutto queſto fuori di ogni idolatria.* Similiter autem loquitur infra de Confucio, dicens, *che gli offeriſcono con molta ſolennità per aggradirgli la buona dottrina, che gli laſciò ne' ſuoi libri, per mezzo de quali conſeguittero i loro magiſtrati, e gradi; ſenza anco recitargli neſſuna oratione. nè chiedergli neſſuna coſa, come diſſimo de loro morti:*

§. 22. Atque hos Commentarios teſtatur in principio Operis P. Nicolaus Trigautius Procurator Miſſionis Sinenſis, eſſe commentarios Patris Matthæi Riccii propria manu ſcriptos, ſeque eos Romam è Sinarum Regno detuliſſe, ut ex iis aliiſque hiſtoriam illius Miſſionis ad ejus obitum uſque concinnaret; quod &

ait ſe feciſſe Deo favente: ac Romæ ſubſcripſit 16. Febr. 1615.

Nicolaus Trigautius.

§. 23. Sed & videndus eſt idem Trigautius in ejuſmodi Hiſtoria, quam edidit anno 1615. ſub titulo: *De Chriſtiana expeditione apud Sinas*, & Paulo V. dedicavit: ubi & Patri Matthæo Riccio omninò conſentit lib. 1. cap. 10. de Mortuis primùm dicens: *Et quoniam in iis nullam Numinis partem agnoſcunt, nec ab iis quidquam aut petunt aut ſperant, id videtur ab omni ſacrilegi cultus ſcelere alienum.* Tum de Confucio: *Fercula*, inquit, *illi offerunt magno apparatu, gratiam ſe habere proteſtati doctrinæ, quam in ejus libris repererunt; cujus maximè adminiculo doctrinæ gradus ipſi ſuos, & opimos in Republica Magiſtratus conſequuntur. Nullas porrò ei preces recitant, nec ab eo quicquam petunt, aut ſperant, ad eum modum, quo de vita functis jam explicatum.*

§. 24. Ita ne loquerentur iſti homines de illis cæremoniis, ſi fuiſſet

in Sinis vel aliqua minima ſuſpicio, quòd in eis exhiberetur Tabella honoranda, in qua crederent reſidere ſpiritus mortuorum, tametſi aereos, ad felicitates iis communicandas, qui ſibi facerent oblationes?

§. 25. Iis annumerari placeat antiquum Miſſionarium Sinenſem, Patrem Franciſcum Furtado, qui fuit Vice Provincialis Sinenſis, ac ſedulam operam impendit per multos annos in examinandis Sinenſium ritibus; uti fidem facit notitia præfixa duobus ejus opuſculis nuperrimè impreſſis ſub hoc titulo: *Informatio antiquiſſima de Praxi Miſſionariorum Sinenſium Societatis Jeſu*, circa ritus Sinenſes, data in China, jam ab annis 1636. & 1640. à Patre Franciſco Furtado antiquo Miſſionario, & Vice Provinciali Sinenſi ejuſdem Societatis. Habentur autem ejuſmodi opuſcula originalia in Archivio Romano Societatis, in quorum priore à §. 7. ad §. 14. redditur breviter ratio de cæremoniis erga Mortuos, & Confucium uſurpatis;

in

in poſteriori autem fuſiùs à §. 23. ad §. 78. Atque ibi nominatim docet P. Furtádo §. 55. & ſequentibus non credere Sinas etiam Gentiles animas defunctorum venire ad Tabellas, &c.

SEPTIMUM ARGUMENTUM.

Ex ingenti multitudine Textuum Sinicorum pro hac Parte.

§.26. PRo ſeptimo Argumento eſſe poſſet congeries Textuum Sinicorum, quibus conſtat & finem oblationum, ac cæremoniarum, quæ fiunt tùm Confucio, tùm Mortuis, non alium eſſe quàm gratitudinem erga Magiſtrum & Parentes, aut Benefactores: Tum Tabellas illis erigi ſolum ad repræſentationem. Ex innumeris Textibus, qui pro utroque hoc puncto adduci poſſunt, ſufficient, ut ſperatur, pauci ſequentes, in præſenti.

§. 27. En quos ſuppeditat Pa-

ter Franciſcus Xaverius Philippuccius in ſpeciali manuſcripto, cujus titulus eſt : *Explicatio triginta ſeptem Textuum, &c.* ubi & Sinicos characteres videre licet, qui ad literam hunc ſenſum habent.

1. *Qui ſervit, vel honorat, vel facit oblationes Defunctis, cogitat de obſequio filiali.*

2. *Exercetur amor filialis; & obſequium in faciendis cæremoniis in Aulis Majorum defunctorum.*

3. *Qui facit oblationes (defunctis Parentibus) id facit in commemorationem procreationis, quam ab illis habuit, & ad continuandum obſequium filiale.*

4. *Quod attinet ad oblationes Defunctorum, ibi docentur homines facere commemorationem obſequii filialis.*

5. *Habere cor ſtudioſum, eſt intentio filii obſequentis.*

6. *Servire, & honorare Defunctos, tanquam ſervitur, & honorantur vivi, eſt ſummum obſequii filialis.*

7. Ob-

7. *Oblationes* vên vâm (*erga Defunctos*) *conſiſtebant in ſerviendo, & honorando Defunctos, prout ſervitur, & honorantur vivi.*

8. *Servire, & honorare Defunctos, prout ſervitur, & honorantur vivi, eſt cæremonia & urbanitas* (*addit commentator*). *Tractare Defunctos, prout tractantur vivi abſque aliqua differentia, hoc eſt intentum antiquorum in inſtitutione harum cæremoniarum, & urbanitatum. Dicere hominem, cum moritur, ejici foras* (*non factâ ei priùs aliqua urbanitate*) *hoc eſt perdere omnem urbanitatem.*

9. *Quando aliquis moritur, fit oblatio carnis ſiccæ, & conditæ, &c. Uſque modo non fuit viſum* (*Defunctos*) *venire eâ fruituros* (*tamen*) *ab antiquo uſque modo non fuit prætermiſſus hic ritus, ne homines terga vertant* (*aut ſe oſtendant ingratos*) *ſuis defunctis. Hoc magis explicat commentator, & dicit, quandonam viſum eſt mortuos venire ad fruendum oblatis? Certè poſtquam*

ab antiquo inſtituti ſunt hi ritus, uſque modo non fuit viſum eos fuiſſe prætermiſſos. In faciendis his ritibus intenta eſt gratitudo ad ſuam originem, nec poſſunt prætermitti. Quomodo poteſt aliquis habere intentionem aliter faciendi?

10. *Facere oblationes (Defunctis) ac ſi aſſiſterent; offerre ſpiritibus, ac ſi ſpiritus aſſiſterent: ita commentarius* Chu hi. *Commentator* Chim Cù *dicit: prima litera* Ci *ſignificat: facere oblationes Majoribus defunctis. Duæ literæ* Ci Xin *ſignificant offerre ſpiritibus exterioribus contra-diſtinctis à ſpiritibus Defunctorum. Facere oblationes Maioribus defunctis habet pro objecto obſequium filiale, offerre ſpiritibus (exterioribus) habet pro objecto cultum (qui in ſubjecta materia eſt religioſus, aut ſuperſtitioſus) Ego (dicit* Chu hi*) dico hîc diſcipulos Confucii referre perfectam intentionem ejuſdem circa oblationes.*

11. *In oblationibus (ad Parentes defunctos) boni (filii) non petere eſt ejus intentum, & ejus finis: hic*

hic eſt animus filii obſequioſi. Commentator ulteriùs progreditur, & dicit: non petere eſt ejus finis, & intentum, ideſt, non habet animum petendi felicitates, hoc eſt, quod dicitur (in alio Textu): oblationes ſunt abſque petitionibus,

12. *Oblationes ſunt abſque petitionibus.*

13. *Non eſt recta doctrina oblationum filii obſequioſi, adulari ſpiritibus Defunctorum ad petendum felicitates, & utilitates.*

§. 28. Apparet (*ſubdit P. Philippuccius*) in his Textibus Sinas in cultu, & oblationibus, quas faciunt ſuis Defunctis, non habere aliam intentionem, quàm oſtendendi ſuum affectum, & nihil aliud ultra. Apparet item non credere illos quòd animæ Defunctorum deſcendant ad fruendum oblationibus, &c.

§. 29. Atque ibi ante ejuſmodi Textus videre licebit accuratam Textuum ab Adverſariis adductorum refutationem: quorum quidem præ-

cipui ipſis impoſuiſſe videntur propter quamdam æquivocationem in voce Sinica *Quei Xin* latitantem; quæ apud Sinenſes multiplicem habet ſignificationem, & modò accipitur pro Cælo ſeu *Xam ti*, modò pro Angelis ſeu bonis Spiritibus, modò pro Spiritibus malis, ſeù dæmoniis, modò pro Divis quibuſdam Sinicis, quos Spiritus minores vocant, modò licet rariùs pro animabus quorumcumque Defunctorum, ac modò etiam pro aliis rebus.

§. 30. Notat verò ibidem Pater Philippuccius, quòd etſi doctrina ſit modernorum quorumdam Atheorum, quòd reunitio quædam *Quei* cum *Xin* vel *hoen* cum *pè*, de qua mentio habetur in libro *Li Ki* cap. *Li yun*, & in libro quadam *Kia yu* dicto nihil aliud ſit quàm reunitio vaporum cum exhalationibus, in quas dicunt reſolutam eſſe animam, & corpus hominis quando moritur, quaſi hæc reunitio fieret in oblationibus ad Defunctos: notat, inquam, P. Philippuccius eam doctrinam nec uni-

univerſalem eſſe apud Sinas, nec practicam. Quod vel ex eo patet, inquit, quod ipſum Rituale *Kiali*, quod eſt velut uſuale funerum rituale apud Sinas, licet contineat alios errores, nihil tamen habet de iſta reunitione,

§. 31. Sed & illam reunitionem videre licebit longè alio ſenſu explicatam ab ipſis Doctoribus Sinenſibus apud Illuſtriſſimum Lopez Epiſcopum Sinenſem Dominicanum in libello impreſſo ad 5. Prop. pag. 33. nimirum de reunitione quadam affectiva filii viventis cum Patre mortuo, quæ apparet in illius ad hunc oblationibus, quando ex corde, ac reverenter peraguntur: quæ proindè explicatio approbatorem etiam habuit Illuſtriſs. D. Nicolai à Leoniſſa, ejuſdem Tractatus Authorem.

§. 32. Adducit & alios Textus ibidem Illuſtriſs. Lopez ad inſtitutionem Tabellarum pertinentes: ut 1. ex *Pehu tung*, qui floruit ſub Imperio *Han Chao*: *Cauſam faciendi dictam tabellam eſt, quia cum ani-*

ma ſeu ſpiritus Defuncti inviſibilis ſit, aliquid viſibile requiritur ad excitandam memoriam Parentum in filio, ubi cor filii conquieſcat, ſeu innitatur, ad quod reſpiciat, cujus aſpectu conſoletur.

§. 33. Secundo, ex *Hia Xin*, qui vixit ſub Imperio *Han*: *Hæc tabella eſt imago ſpiritus. Filii enim pii ſepulto Parente non habent ubi cor eorum cõquieſcat; ideoque faciunt Tabellam ut ei ſerviant.*

§. 34. Tertiò, ex *Chin hò vuangie* ſub eodem Imperio: *Hoc totum fit ad manifeſtandam pietatem filiorum, ſeu reverentiam filialem, imaginando quandam ſimilitudinem, ſeu tanquam ibi adeſſent Proavi, atque ita à Rege uſque ad infimum Mandarinum ſuas ſinguli tabulas habere debent ad inſcribendum* Xin goey, *ideſt*, locus, ſive Sedes ſpiritus.

§. 35. Quartò, *Liber Kiali, ſeu Rituale dicit quòd in anteriori parte tabellæ hoc modo ſcribendum ſit, videlicet* N. Mandarini, hujus vel illius Ordinis, &c. Xin Chu. *Doctor au-*

autem Hia Xin, *qui ſupra, explicans illam vocem, ſeu literam* Chu *dicit* : Chu che Xin Siang ye, *hoc eſt.*, id quod Chu dicitur, (*ſubintellige hic*) idem eſt ac imago ſpiritus, ſeù defuncti; *adeoque ſupraſcripta formula ſcribenda in tabella facit hunc ſenſum* : Imago ſpiritus N. Mandarini, &c.

§. 36. *Ex dictis videri poteſt*, pergit dicere Illuſtriſs. Lopez, *quòd Defunctorum tabellæ non ſemper, ſeu ab omnibus dicantur, vel inſcribantur* Xin goey, *ideſt*, locus ſeu Sedes ſpiritus; *ſed quod etiam à multis inſcribantur, ut ſupra*, Xin chu, *hoc eſt*, imago ſpiritus.

§. 37. Hic accedit Textus Dictionarii Sinici *Cu guey* dicti., ubi hæc habentur : *Xin chu cùm Miao lie chi y ci lin che* : ideſt : *Tabella* Xin chu *dicta in Majorum Aula erecta fuit ad repræſentandum Defunctum* : uti videri poteſt apud Patrem Intorcettam in Tractatu impreſſo de cultu Sinenſium pag. 230. ubi & addit : Ci *litera, videre &*

contemplari & repræſentare ſignificat ; adeoque poteſt item exponi : Tabella erecta fuit ut in illa tanquam in ſubſtituto contemplarentur , & quaſi præſentem viderent poſteri Defunctum .

OCTAVUM ARGUMENTUM.

Ex ratione multiplici .

§.38. OCtavum Argumentum formatur ex duplici potiſſimùm ratione , quâ conſtat Tabellam Mortuorum , adeoque etiam Confucii inſtitutam à Sinis eſſe , actuque adhiberi non ad recipiendum illorum ſpiritum , quicumque tandem eſſe ab illis credatur , ſed ſolùm ad mortuum repræſentandum.

§. 39. Prima ratio eſt quia , ut habet Pater Intorcetta pag. 231. Tractatus nuper impreſſi , Tabella non erigitur , niſi poſtquam ſarcophagus fuerit ſepulturæ mandatus ; quod aliquando non niſi poſt multos annos contigit : quo interim tem-

po-

pore faciunt Sinæ ſuas illas cæremonias ante Sarcophagum, cui & inſcripti ſunt iidem characteres *Xin quei*, Sedes ſpiritus) ut teſtatur Pater Jacobus le Faure pag. 302. ſolentque etiam nobiliores ante feretrum ponere imaginem Defuncti, ut teſtatur P. Furtado in ſua Informatione, §. 42. ergo ſicut non credunt Sinæ in feretro remanere ſpiritum Defuncti, ſed ſolùm ejus corpus, cum aliqua hominis antea viventis repræſentatione; ita nec in Tabella, quæ in ejus locum ſucceſſit.

§. 40. Altera ratio eſt, quam tradunt P. Intorcetta pag. 93. & P. Jacobus le Faure pag. 304. quia ſcilicet conſtat ex Libris Sinicis, quos adducunt, Tabellam hanc Mortuorum inductam fuiſſe loco viventis cujuſdam *Xi* dicti, quo utebantur Sinæ in funeribus ſuis ad repræſentandum Defunctum: ſicut ergo non credebant ſpiritum Defuncti inſidere ſubſtituto humano vivo, niſi per repræſentationem; ita neque ſubſtituto ligneo quod eſt ipſa tabella; quam iiſ-

iiſdem proſequũtur honoribus, quàmque in Aula Majorum ſuorum ſervant ad perpetuandam ſuis erga defunctos Parentes obſequiis filialem obedientiam; uti habetur lib. 6. de officiis, ſeù in LiKi, fol. 28. ubi & ſubdit Commentator: *Conſtituebatur ſubſtitutum ad repræſentandam præteritam Parentum vitam: adhibent tabellam fixam ad figurandam ſimilitudine quadam conſervationem ſpiritus, qui diſceſſit.*

§. 41. Quæ omnia non parum confirmantur ex more inter Sinas recepto, erigendi Tabellas ſimiles in honorem perſonarum viventium, cum inſcriptione nominis, ac characteris *Guey* ei adjecti: quæ literaliter hunc ſenſum habere videtur: *Sedes, ſeu Thronus talis perſonæ*: cum tamen minimè putent Sinæ talem perſonám, aut ejus ſpiritum etiam aereum venire ad ejuſmodi Tabellam, ut per motionem ſympathicam beneficos influxus communicet reverentibus, dum coram ea ſe proſternunt ut debitos hono-

res

res ſuis Benefactoribus exhibeant: uti teſtatus eſt D. Nicolai in ſuis Reſponſionibus ad quæſita S.C.P. ſuper 4. Punctum. Ut nihil interea dicatur de quodam Tabernaculo, quòd intra Mandarinorum Aulam exponi ſolet, ut ante illud Mandarini proſtrati reverentiam exhibeant viventi Regi: quod quidem vulgò vocatur *lûm tîm*, tum *Xim cò*, & *Xim guey*; ideſt, ad literam, *Regis Sedes*, ſeu *Thronus*: Dicitur etiam *Xim chi*, ideſt, *Regis voluntas*. Quarum utique dictionum legitimus ſenſus eſt, quòd ſit ſolùm repræſentatio Regis, aut Regiæ voluntatis, cui tanquam præſenti reverentia ſit exhibenda. Similiter ergo dicendum de prædicta inſcriptione Tabellæ Confucii, quæ modo ſimili confecta eſt, ut patet.

NO.

NONUM , ET ULTIMUM ARGUMENTUM .

Ex refutatione fundamentorum Partis oppoſitæ .

§.42. NOnum denique Argumentum conflatur ex refutatione fundamentorum , quibus Adverſarii ſuam illam ſententiam probant : & quæ eò reducuntur , ut producantur nonnulli Textus ex variis libris Sinicis , in quibus videtur impensè commendari generatim potentia ſpirituum , (comprehenſis etiam ſub hoc nomine animabus Defunctorum , adeoque etiam Confucii) tùm habeatur ex principiis Philoſophiæ Sinicæ , quæ continentur in Libris *Sim li ta Ciuen* dictis , quod ſpiritus illi nihil aliud ſint quàm vapores aerei , qui per motionem quamdam ſympathicam *adveniant , ſuccurrantque offerentibus , vel invocantibus .*

§. 43. Verùm ad hoc reſpondent Pa-

Patres Societatis duo. Primùm eſt, quòd etſi verum ſit in libris illis Philoſophiæ Sinenſis ex varia Librorum farragine conſarcinatis per authores 42. quorum plerique fuerunt Athei; ut conſtat ex Præfatione libri, cui titulus: *Confucius Sinarum Philoſophus*: etſi, inquam, verum ſit in ejuſmodi libris explicari mirabiles quoſque effectus per motionem illam ſympathicam ſpirituum aereorum, & materialium ſeu corporeorum: at nihil inde concludi poteſt pro invocatione ſpiritus Confucii, & Defunctorum, & pro eorum reali adventu ad Tabellas; quia de hoc nihil poſitivè in illis determinatur, uti jam pridem obſervavit Pater Franciſcus Brancatus annorum 34. Sinenſis Miſſionarius, dum reſponderet P. Fr. Dominico de Navarrete tale quid objicienti ex libro 23. *Sim li*. Nam teſtatur P. Brancatus in ſuo manuſcripto pag. 232. ſe totum illum librum, atque etiam alium de oblationibus in eodem volumine *Sym li* contentum evolviſſe, adhi-

adhibita etiam opera Literati Sinenſis , quo Patres ad Sinicè ſcribendum Mandarinis utebantur , nec tamen unquam locum illum à Patre Navarrete citatum invenire potuiſſe.

§. 44. Ac licet aliquid de hac re in dictis libris determinaretur , nihil tamen inde concludi poſſet pro communi ſenſu Nationis , præſertim ad praxim ſpectante ; quia libri illi, ut dictum eſt , farraginem ſolum continent variarum explicationum , ac ſuppoſitionum à variis authoribus collectam , cum multiplici contradictione ; uti videre eſt inter alios apud P. Fr. Dominicum Sarpetri ex Ordine Sancti Dominici in Tractatu ſpeciali , qui Romæ habetur manu propria Authoris deſcriptus ſub titulo *De Vocibus* in Longobardum.

§. 45. De hoc item P. Philippuccius in his materiis verſatiſſimus, capite 1. Præludii ad 31. ſuppoſitionem falſam P. Fr. Joannis Baptiſtæ de Morales ſic habet : *Aliqui quidem* , inquit , *id* (ſcilicet aſſiſtentiam animarum in Tabellis) *in ſpeciem*

vi-

videntur affirmare, præcipuè in libro quem vocant Sym li ta ciuen *lib.* 28. *ubi fuſè de hac materia diſputatur. Si tamen omnia, quæ ibi allata ſunt, ritè perpendantur, inde nullo modo poterit probari quòd cenſuerit author animas Defunctorum ad tabellas venire, & in illis reſidere. Dato autem quòd aliqui Sinenſes, animæ Defuncti in tabella præſentiam affirmarint, pleriſque aliis eam apertè negantibus, cur quæsò author quæſitorum mavult adhærere defendentibus mendacium, quàm illud negantibus; & errorem paucorum, doctrinam omnibus Sinenſibus imputare? Præſertim cum error paucorum non poſſit inficere totius Regni communem ritum, & opinionem totius multitudinis ſequentis veritatem, in hoc de quo agimus puncto.*

§. 46. Certè non videtur Sacra Congregatio multùm detuliſſe illi Informationi P. Fr. Joannis Baptiſtæ de Morales, quando illâ non obſtante reſpondit ad quæſitum 12. ubi de

de tabella illa agitur : *Poſito quòd menſa parata ſit quædam Tabula, non autem verùm , & proprium Altare , ſi cætera continentur intra limites obſequii civilis , & politici , eſſe toleranda* . Ita ſcilicet habetur in decreto Innocentii X. an. 1645.

§. 47. Alterum quod hic reſpondent Patres Societatis , ſpectat ad quoſdam Textus librorum Sinicorum , quos Adverſarii producunt ad probandam invocationem Mortuorum ; quo nomine volunt invocationem Confucii etiam comprehenſam eſſe , cum eorum ad Tabellas adventu . Ad id verò reſpondent Patres Societatis , Textus illos non fuiſſe incognitos antiquis ſuis Miſſionariis , atque aliis ex Ordine Sancti Dominici , qui illis non obſtantibus crediderunt fictitiam eſſe illam ſpirituum invocationem , adventumque ad Tabellam ; ut conſtat ex argumentis ſupra adductis . Quibus etiam plurimùm favere viſus eſt Illuſtriſs. D. Nicolai in ſuis Reſponſionibus ad quæſita Sacræ Congre-

gregationis Particularis loco ſupracitato: ubi dixit ex illis Textibus non ità facilè poſſe rem iſtam decidi.

§. 48. Ac videtur omninò in rebus ejuſmodi quæ in uſu, & praxi quotidiana verſantur, cujuſmodi ſunt ritus erga Confucium, & Mortuos uſitati, petenda potiùs eſſe recta cujuſque intelligentia ex communi ſenſu eorum, qui eos nunc exercent, quàm ex longa, & intricata Textuum ambage: præſertim cùm illi ipſi qui eos adducunt, prò ſua ingenuitate id quod proximè expreſſum eſt fateantur. Verùm neque ad illud examen venire recuſant PP. Societatis; uti conſtabit ex iis quæ in altera hujus ſcripti Parte dicentur.

INDEX,

ET SUMMARIUM

Eorum, quæ continentur in priori parte Scripti, cujus titulus eſt: *Vera Sinenſium Sententia, &c.*

Monitum ad Lectorem; ubi agitur præſertim de Eruditione Sinica PP. FF. Navarrete, & Varo, qui ſunt Authores præcipui Adverſariorum: idque per plures numeros. pag. 3.

Quæſtio: An cultus, qui à Literatis Sinenſibus exhibetur Confucio in ſua Tabella, ſit aliqua ex parte idololatricus?

§. 1. *Declaratur, quibus & quot viis hactenus inceſſerint, qui partem affirmativam ſecuti ſunt: ac 1. quidem contenderunt Confucium coli tanquam Numen.* 24.

§. 2. *Li-*

§.2. *Iidem poſtea dixerunt Confucium coli ſolùm tanquam Sanctum.* 25.

§.3. *Eamdem viam ſecutus eſt Author Relationis ad S.C.P* 26.

§.4. *Denique Adverſarii poſuere malitiam cultus Confuciani in Tabella à Sinis habitâ, ut putant, tanquam Sede reali ſpiritus aerei Confucii, & principio phyſico felicitatum in Invocantes derivatarum.* 27.

§.5. *Huic tertio modo refutando inſiſtitur in hoc Scripto: & quare.* 28.

Aſſertio: Tabella Confucii non creditur à Sinis communiter eſſe deſtinata ad recipiendum aereum Confucii ſpiritum, ex quo proveniant felicitates offerentibus: neque ut talis ab ipſis colitur.

§.6. *Inconſtantia, & contradictio Adverſariorum in ſtatuenda idololatria Confuciana, deſtruit illorum accuſationes.* 29.

§.7. *Aſſertio poſita validè probatur omnibus argumentis, quibus conſtat nihil reipſa peti, neque ſpera-*

 ri

ri à Confucio in oblationibus quæ illi fiunt. 30.

§.8. *Primum Argumentum petitur ex teſtimonio D. Gregorii Lopez Sinenſis Dominicani, & Epiſcopi; qui Tractatum ea de re compoſuit.* 31.

§.9. *Idem fusè probat falſum eſſe, quòd Sinæ credant animas venire realiter ad Tabellas.* 32.

§.10. *Secundum Argumentum petitur ex P. Dominico Maria Sarpetri Dominicano, Miſſionario Sinenſi antiquo probo, & perito, qui Tractatum pariter de hac materia conſcripſit.* 33.

§.11. *Tertium Argumentum petitur ex teſtimonio D. Nicolai à Leoniſſa Franciſcani, Epiſcopi Beritenſis, & Vicarii Apoſtolici in China, qui Tractatum ſupradictum compoſuit unà cum D. Gregorio Lopez.* 35.

§.12. *Aliud ejuſdem teſtimonium producitur ex ipſius Reſponſis.* 36.

§.13. *Tertium profertur teſtimonium ex aliis ejuſdem Reſponſionibus.* ibi.

§.14. *Obſervatio præcedentibus accommodata.* 37.

§.15. *Ad-*

§.15. *Adducitur quartum teſtimonium D. Nicolai valdè notabile pro re de qua agitur.* ibid.

§.16. *Illatio efficax inde habita.* 38.

§.17. *Excluſio ſpiritus aerei à Tabella Confuciana.* 39.

§.18. *Quartum Argumentum ex concordia Dominicanorum cum Jeſuitis in Cætu Cantonienſi cum inſtrumentis authenticis.* ibid.

§.19. *Expenditur momentum hujus Argumenti.* 40.

§.20. *Quintum Argumentum petitur ex Tractatu ſpeciali P. Joannis de Paz Dominicani, Relationem ſuorum Miſſionariorum atteſtantis, ſcribentiſque cum facultate, & approbatione Superiorum in Vicinia Chinæ commorantium.* 41.

§.21. *Sextum Argumentum ex Scriptis originalibus Ricii, Trigautii, Furtadi, &c. Patrum antiquiorum Miſſionis Sinicæ; ac primùm quidem de Scriptis Ricii.* 43.

§.22. *Profertur ſpeciatim atteſtatio Nicolai Trigautii.* 44.

§.23. *Indicatur quod Trigautius edidit*

dit ſuper hac re, jam ab anno 1615. 45.
§.24. *Quantùm abhorreat à vero opinatio de tabella credita Sede ſpiritus aerei Confuciani.* ibid.
§.25. *Adducitur teſtimonium P. Franciſci Furtado in Informatione Romam tranſmiſſa jam ab anno* 1636. & 1640. 46.
§.26. *Septimum Argumentum ab ingenti multitudine Textuum Sinicorum pro hac parte.* 47.
§.27. *Producũtur plures ejuſmodi Textus ex P. Philippuccio.* ibid.
§.28. *Apparet ex prædictis Textibus intentionem Sinarum in ſuis oblationibus, aliam non eſſe, quàm oſtendendi ſuam gratitudinem.* 51.
§.29. *Detegitur à Patre Philippuccio æquivocatio vocis* Quei Xin, *quæ Adverſariis impoſuit.* ibid.
§.30. *Oſtenditur ab eodem, doctrinam modernorum quorumdã Atheorum Sinenſium, nihil juvare ſententiam Adverſariorum.* 52.
§.31. *Profertur explicatio Doctorum Sinenſium illis contraria, ex Tra-*

ſtatu DD. Lopez, & Nicolai. 53.

§.32. *Afferuntur alii Textus à D. Lopez ad inſtitutionem tabellarum pertinentes, ex Doctoribus Sinenſibus; ac primò quidem ex* Pehu tung. ibid.

§.33. *Affertur alius Textus ex* Hia Xin. 54.

§.34. *Affertur alius Textus ex* Chin ho uuangie. ibid.

§.35. *Affertur Textus alius ex* Kiali. ibi.

§.36. *Notat idem D. Lopez Tabellas à multis inſcribi* Xin Chu, *hoc eſt*, imago ſpiritus. 55.

§.37. *Affertur etiam textus Dictionarii Sinici, quo ex P. Intorcetta ſignificatur tabellam in Majorum Aula erectam fuiſſe ad repræſentandum Defunctum.* ibid.

§.38. *Octavum Argumentum ex ratione multiplici formatum.* 56.

§.39. *Proponitur prima ratio ex eo petita, quòd tabella non erigatur niſi poſt Sarcophagum terræ mandatum.* ibid.

§.40. *Proponitur ratio altera inde ducta, quòd tabella hæc conſtituta ſit loco viventis cujuſdam* Xi *dicti.* 57.

§.41.

§.41. *Cõfirmantur præcedentia ex more inter Sinas recepto erigendi Tabellas ſimiles in honorem Vivorum. Ubi & de quodam tabernaculo in Mandarinorum Aula exponi ſolito cum ſimili inſcriptione.* 58.

§.42. *Nonum, & ultimum Argumentum ex refutatione fundamentorum partis oppoſitæ conflatorum. pag.* 60.

§.43. *Reſponſio prima Patrum Societatis ad loca quædam Philoſophiæ Sinicæ* Sim li ta ciuen *dictæ, ex Patre Brancato.* ibid.

§.44. *Adnotatio ad idem pertinens, ex Patre Fr. Dominico Sarpetro.* 62.

§.45. *Confirmatio ex Patre Philippuccio.* ibid.

§.46. *Decretum Sacræ Congregationis anno 1645. ſuper ea re.* 63.

§.47. *Altera Reſponſio Patrum Societatis, ſpectans ad quoſdam textus ab Adverſariis productos pro invocatione mortuorum.* 64.

§.48. *Unde videatur petenda eſſe recta illorum omnium intelligentia. pag.* 65.

ULTERIOR
EXPOSITIO,
ET INFORMATIO
DE FACTIS SINENSIBUS CONTROVERSIS,

Secundùm PP. Societatis Jeſu,

Adversùs novam allegationem Textuum Sinicorum

Factam præſertim ex Tractatibus PP. FF. Dominici Navarrete, & Franciſci Varo Dominicanorum, &c.

ANNO M. DCC.

§§§§§§ §§§§§§§§§§§ §§§§§§

§. 1. NEminem latet, quantum ſibi tempus ſumpſerint Jeſuitarum Adverſarii ad impugnandas eorum Praxes circa Sinicos ritus; tùm ante, tùm poſt formationem mandati, jam ab anno 1693. in China facti, quo ex illis unus licitum ſibi eſſe judicavit eas proſcribere, tametſi fultas, uti Jeſuitæ contendebant, Pontificio Decreto Alexandri VII. quod editum fuerat die 23. Martii 1656.

§. 2. Ex Documentis tanto tempore præparatis conflata Romæ fuit anno proximè elapſo 1699. ſingulari cum ſtudio, Relatio quædam, quæ omnia demum continere credebatur, quibus Praxium illarum vitium depræhendi poſſet: cùm eum ipſum haberet vel Authorem, vel Informatorem, qui poſtquam in China ſe pro mandato Reverendiſſimi Domini Maigrotii declaraſſet variis librorum Sinicorum generibus inſtru-

ctus Romam venerat, ut rem ipſam per ſe urgeret, promoveretque, mandatique adeo in China facti confirmationem ab Apoſtolica Sede obtineret.

§. 3. Communicatæ ſibi ex Mandato SS. D. N. Innocentii Papæ XII. Relationi illi properè tunc, prout in ſumma temporis anguſtia licebat, reſpondere conati ſunt, uti jubebantur, Patres Societatis in his partibus exiſtentes. Idque ita fecere, tum ex informationibus ſuorum Miſſionariorum Sinenſium, quas in ipſo Romano Archivio Societatis, non ſine quodam inſigni Divinæ Providentiæ munere inveniri contigit, ex China Romam jampridem tranſmiſſas; tùm ex pluribus Dominicanorum monumentis omni fide digniſſimis, quorum etiam originalia præ manibus habuerunt; tum denique ex ipſis reſponſis, quæ Illuſtriſſimus à Leoniſſa ad conflandam Relationem ſupradictam reddiderat: id ita, inquam, fecere Jeſuitæ, ut quam offundere viſa illa Relatio fuerat Praxibus

con-

controverſis turpitudinem, totam aut pænè totam ſua Reſponſione abolitam eſſe confiderent.

§. 4. Verùm ecce novam audierunt non ita pridem PP. Societatis Textuum Sinicorum congeriem ſecretò, & ipſis omninò inſciis ab Adverſariis productam ex Tractatibus, neſcio quibus, Patris Fr. Dominici Navarrete, & Patris Fr. Franciſci Varo Dominicanorum, unâ cum acceſſione variarum ſcripturarum Illuſtriſſimi à Leoniſſa, qui morem ſuum tenens favendi quantùm poteſt Jeſuitarum Adverſariis, iſtorum partes ſuis Sinenſium librorum ſecum advectorum interpretationibus promovere perrexit; idque eò liberiùs, quòd cùm unum ſe viderit Romæ eſſe linguæ Sinicæ intelligentem, uti ipſe non ſemel dicere, & quaſi jactare auditus eſt, videtur exiſtimaſſe inventum iri neminem, qui ejuſmodi interpretationes redarguere tutò poſſet.

§. 5. Multas habent Patres Societatis exceptiones, quas apud æquiſ-

ſimos, & ſepientiſſimos Judices ſuos poſſent opponere, tùm adverſus prædictos Tractatus PP. FF. Navarrete, & Varo, quatenus prioris, tomum poſteriorem, qui eſt de controverſiis Sinenſibus, cùm Madriti imprimeretur, conſtat fuiſſe authoritate publica ſuppreſſum; Poſterioris verò, ideſt, Patris Fr. Franciſci Varo Tractatus, cujus ſibi communicationem ab hoc ſancto Tribunali tandem in fine Auguſti proximè elapſi fieri obtinuerunt, mutilus eſt, nec ulla certa nota authoritatis inſignitus: tùm præſertim adverſus interpretationes ſuperadjunctas Illuſtriſſimi Domini à Leoniſſa, qui cùm partes Adverſariorum in China amplexus ſit, uti conſtat ex propriis ejus literis per ipſos Adverſarios publicè allegatis, non videtur hic in teſtem ejuſdem cauſæ admitti jure poſſe; quantò minùs in arbitrum, niſi velimus omnia tandem ex ejus unius arbitrio pendere, fruſtra Jeſuitis, ut pro parte ſua loquantur. interpellatis.

§.6.Il-

§. 6. Illud etiam hic repræſentandum occurerret, quòd ſi ita ſinantur agere Jeſuitarum Adverſariis ut ſcilicet novas quotidie ejus generis authoritates obtrudant poſt diſſipationem antiquarum, rem iſtam in infinitum abire neceſſe ſit. Præterquam quòd eam præſertim ob cauſam videntur illi viam hanc Textuum Sinicorum in lingua utique Romæ ignota, & ex incerta librorum farragine collectorum inire voluiſſe; ut inde velut ex immenſa quadam tenebrarum profunditate quamcumque liberet horroris ſpeciem in cauſam ſibi exoſam conjecerent.

§. 7. Cæterùm neque his diffidunt Patres Societatis reſpondere ſe poſſe ope eorumdem illorum Authorum, quibus uſi jam ſunt ad ſuam facti de controverſiis Sinenſibus expoſitionem componendam, eâque refellendam priorem illam relationem ab Adverſariis exhibitam, aut ex illorum informationibus concinnatam, quin & inde ſperant, eò magis conſtitutam eſſe facti à ſe ſtabiliti veri-

tatem, quò magis apparebit nihil novi ab Adverſariis afferri, cum novis iſtis allegationibus, præter novos quoſdam cauſæ per ſe facilis involvendæ, implicandæque modos. Quam in rem juverit eumdem ſequi ordinem, quem viſum illis eſt inſtituere.

DUBIUM I.

An Confucius in China colatur ut Sanctus in publicis illis cæremoniis, quæ fiunt in Aulis ipſi deſtinatis; atque ut talis habeatur ſub titulo Xim, *aut* Xing, *qui illi attributus eſt.*

§.8. OMiſſis in præſenti illis, quæ jam antea ab Adverſariis allata fuerant ad probandum ejuſmodi cultum, & quibus putant Patres Societatis patere reſponſum ex præcedentibus ſuis ſcriptis, venitur ad id quod nuper ſubjunctum eſt ab Adverſariis ex Tractatu Patris Fr. Franciſci Varo, & aliorum pro ipſis ſtantium.

§. 9. Primò. Proferunt Adverſarii quod refert Pater Varo 2. p. cap. 4. art. 1. ſcilicet *quòd ex Decreto Regio in novilunio, & plenilunio omnes Mandarini pergunt primò ad ædes, in quibus aſſervatur tabella Confucii, (ejus ſcilicet nomine inſcripta) ibique faciunt præſcriptas cæremonias, deinde verò pergunt ad Templum Idoli* Chin-hoam, *ubi faciunt eaſdem cæremonias, ac tandem regrediuntur in locum propriæ Audientiæ, in quo eſt Templum dedicatum ipſius Spiritui Protectori, ubi eaſdem rurſus cæremonias peragunt coram ejus ſtatua.* Notat autem Pater Varo, *quòd cùm illæ cæremoniæ priùs fieri debeant erga Confucium, quàm erga* Ching Hoang, *& Protectores Audientiarum, qui à Sinis etiam in opinione Jeſuitarum habentur tanquam Sancti, & Spiritus Tutelares, inde inferendum videtur in Sinarum exiſtimatione Confucium haberi tanquam Sanctum; & quidem modo quodam excellentiore: quod & correſpondet titulo, qui ei attributus eſt,* Chi Xim, *& ſum-*

ſummè Sanctum ſignificat, uti paulò pòſt magis declarabitur.

§. 10. Reſpondent hic Patres Societatis ante omnia, quòd jam ſæpiùs in aliis ſuis ſcriptis reſponderunt, cæremonias illas, quæ à Mandarinis fiunt erga Confucium in æquinoctiis, nunquàm fuiſſe à ſuis Miſſionariis approbatas, ſeu permiſſas: etſi contenderint illas non eſſe per ſe idololatricas, ſeu ſuperſtitioſas, tametſi & idololatricas, & ſuperſtitioſas eſſe agnoverint cæremonias erga *Chin Hoam*, & Spiritus Protectores Sinarum adhibitas: uti conſtat paſſim ex Tractatibus, ac libris jam olim in China factis, & nuper editis.

§. 11. Nunc verò addunt, quòd etſi fiant erga Confucium eædem aliquæ ex cæremoniis, quæ fiunt erga *Chin Hoam*, ac Spiritus Protectores, non magis inde inferri poteſt, in eodem cum illis ordine haberi Confucium, quàm ex eo quòd eædem ſæpe apud nos cæremoniæ exerceantur erga Deum, & Sanctos, & vi-

viventes (*& majores interdum erga iſtos, quàm erga illos*) inferri legitimè poſſit, aut viventes in eodem à nobis ordine haberi cum Sanctis in Cœlo exiſtentibus; aut viventes, & Sanctos in eodem item ordine à nobis haberi cum ipſo Deo, ſeu eodem omnes *formaliter* cultu à nobis honorari. Nonne V. G. eædem fiunt utrobique corporis inclinationes, & genuflexiones; nonne idem etiam incenſum adhibetur erga Sanctiſſimum Sacramentum, & erga Imagines Beatæ Virginis, ac reliquorum Sanctorum; tum erga mortuos, ipſoſque etiam viventes in Eccleſia exiſtentes? Nonne & erga Summum Pontificem adhiberi illud videmus flexis etiam genibus, cum erga Crucifixum ab ſtantibus adhibeatur. Nonne & a Chriſtianis, Sanctiſſimi nomen non ſolùm Romanis Pontificibus, ſed etiam antiquis Imperatoribus attributum eſt? An prointereà quiſquam eſt inter Chriſtianos, qui inde rectè inferat illum, cui tale nomen attributum eſt à nobis, aut Sanctis, aut Deo

ipſi

ipſi præferri, vel ſaltem exæquari? Nimirum diverſa inſtitutio, intentioque eſt, quæ diverſitatem *formalem* cultus plerumque inducit, juxta ea, quæ habet S. Thomas 2. 2. qu. 24. art. 1.

§. 12. At nec verum eſt, quod inſinuat Pater Varo eaſdem omninò etiam exteriùs, ac velut *materialiter* cæremonias fieri erga Confucium, quæ fiunt erga *Chim Hoam*, & Spiritus Protectores. Nam ut hîc cætera taceamus, adhibent Mandarini Sinenſes, aut ſaltem adhibere ſe profitentur veras preces erga *Chin Hoam*, & Spiritus Protectores, ad illorum protectionem demerendam; cùmque in finem ad eorum Templa ſe conferunt, uti nomina illis indita ſignificant, & ut omnes conveniunt: non ita verò erga Confucium, ut etiam Adverſarii fateri coacti ſunt.

§. 13. Sic enim, inquit Illuſtriſſimus à Leoniſſa, in ſuis reſponſionibus ad quæſita S. C. P. ad quartum: *Rara, ò neſſuna è l'offerta, che ſi fà al ſolo Confucio, e nel Tempio à lui de-*

dedicato, dove ſe gli chieda alcun bene direttamente, per quanto hò potuto leggere, e ritrovar ne'libri, e rituali Chineſi : Ideſt : *Rara, aut nulla eſt oblatio ſoli Confucio facta, & in Æde illi dedicata, in qua bonum ullum directè ab illo petatur, quoad potui legere, & invenire in libris, & Ritualibus Sinicis*. Tum paulò pòſt : *Nelle due offerte ſolenni ſopradette non hò trovato petitione, ò ſupplica di beni, e felicità, che ſia almeno chiara, e diretta à detto Confucio*. Ideſt : *In duabus oblationibus ſolemnibus ſupradictis*, (quæ ſcilicet fiunt verè, & Autumno, quantò minùs in cæteris, quæ fiunt aliis temporibus ſine ſolemnitate) *non inveni petitionem, aut ſupplicationem bonorum, & felicitatum, quæ ſit ſaltem clara, & directa ad prædictum Confucium*. Quid expreſſiùs?

§. 14. Atque id etiam diſcriminis quaſi luce meridiana clarius evadit ex publicis proceſſionibus, quas ſolent illi Mandarini Sinenſes in publicis ſuis neceſſitatibus inſtituere ad

Tem-

Templa *Chin Hoam*, aliorumque Spirituum Protectorum, ut opem illorum expoſcant; uti conſtat inter alios ex Tractatu Patris Franciſci Furtado nuper impreſſo, §. 18. & ſequentibus. At nihil unquam ſimile erga Confucium fieri viſum eſt.

§. 15. *Quis unquam, ex Magiſtratibus, aut popularibus, ut ſupra dicebam*, inquit Pater Intorcetta, alloquens Patrem Fr. Navarretam, in libro nuper impreſſo, pag. 25. *acceſſit ad Aulam Confucii tempore ſiccitatis ad petendam pluviam, & rogandum Confucium, ut ſubveniret communi populi neceſſitati? Si Numen eſt, & tàm magnum, atque præpotens Idolum, ut illi meliora offerantur, ut magnum fiat Sacrificium; E las coſas offrecidas à Confucio* (ſunt verba Paternitatis Veſtræ nu. 26. in fine) *mas precioſas ſon, que las que ſe offrecen à los Idolos; en el Confucio los nobles, y letrados eſperan recibir bienes, y los piden: en los Idolos el vulgo, y la gente ignorante: luego non ſolo hai Sacri-*

fi-

ſiculos, ſino Sacrificio grande. Quare nobiles, & literati, ſi eſperan recibir bienes, y los piden, tempore communis calamitatis, quando maximè indigent illius ope, opem non petunt ante ſtatuam Confucii? At tamen illo ipſo tempore Idola omnia, Cœlum ipſum, & alia minora Numina Pù Sà *dicta precibus fatigant. Fateamur neceſſe eſt Confucium ut Magiſtrum coli, & cultu merè politico à literatis, qui cùm fruantur in dies ejus libris, & doctrinâ, ad gradum, & honores conſequendos, non eſt mirum, ſi in grati animi memoriam Aulam illi dicarint, eum perhonorificis titulis compellent, & aliquoties in anno eundem civiliter venerentur. Nec Sacram Congregationem latuere tituli iſti Confuciani ille præcipuè titulus* Xim, *aut* Xim Chi *ſupra memoratus, &c.* Ita ibi Pater Intorcetta.

§. 16. Accedit quòd ſolent Sinenſes Mandarini ire in Templum *Chin Hoam*, ut ejus nomine interpoſito jurent, aut ſua juramenta con-

confirment, ſubmittendo ſe, ſi contra fecerint, *ſupplicio ab Idolo infligendo*, uti jam olim expreſſit Pater Fr. Joannes Baptiſta de Morales in ſuis quæſitis ad Sacram Congregationem an. 1645. quæſito ſeptimo quod & agnovit Pater Fr. Varo cit. art. 1. At nihil tale fit erga Confucium, &c.

§. 17. Ad hæc cùm Miſſionarii Sinenſes Societatis nullum unquam permiſerint cultum *Chiu Hoam*, ut liquet ex Patre Furtado, qui ſcripſit anno 1640. iidemque è contra permiſerint cultum aliquem Confucii, ſcilicet illum, qui approbatus eſt Decreto Alexandri VII. neceſſe fuit ut intereſſet notabilis aliqua differentia, propter quam priorem uti religioſum, & ſuperſtitioſum reprobarent; poſteriorem verò tanquàm purè politicum, ac civilem admitterent. Quippe alioquin procliviſſimum erat, ut utrumque vel ſimul permitteretur, vel ſimul prohiberetur. Atque differentiam illam jamdiu indicavit ipſe Miſſiónis Sinicæ Fundator Matthæus Riccius, & ex

eo

eo Trigaultius lib. 1. de Chriſtiana Expeditione apud Sinas cap. 10. pag. 108. ubi videri poterit.

§. 18. Secundò. Proferunt Adverſarii, quòd dicit P. Fr. Varo 2. part. cap. 4. artic. 3. ubi ex titulo *Xing*, quem habet Confucius in ſua Tabella, inferre conatur Sinas illum venerari non ſolùm tanquam Magiſtrum, ſed etiam tanquam Sanctum. *Nam in libris antiquiſſimorum*, inquit, *ubi agitur de oblatione quadam herbarum Magiſtris defunctis facienda, quæ dicitur* Xē Chay, *Magiſtri in Sanctos relati vocantur* Sien Xing, *alii verò vocantur* Sien Cu. *Idemque parte 2.cap. 5. art. 2. Notat, ultima verba conſtitutionis Regis Humvu, in* Tamin hoien tien; *eſſe ſequentia*, Te Jeng, Ki *Kien*, *hoc eſt*, remaneret (*Confucius*) cum antiquo titulo, quem habebat, qui erat Xing.

§. 19. Reſpondent PP. Societatis, vel ex hoc ipſo conſtare poſſe, quanta argumentorum penuria laboret P. Fr. Varo, ejuſque ſequaces ad opi-

nionem ſanctitatis apud Sinas Confucio vindicandam. Nam neque libri, quos citat, dicunt, Magiſtros illos defunctos, qui uno in loco vocantur *Sien Xing*, eſſe diverſos ab iis qui in alio loco vocantur *Sien Cu*: neque ſi diverſos eſſe dicerent, probarent priores haberi pro Sanctis, potiùs, quàm poſteriores; Siquidem contentio eſt de ipſa voce *Xing*, quam ille *Sanctum* gratis interpretatur; ita ut *Sien Xing*, idem ſit apud P. Fr. Varo, ac *defunctus Sanctus*, cùm *Sien cu* ſolùm ſignificet defunctum Magiſtrum. At negant PP. Societatis illam interpretationem vocis *Xing* intellectæ ſcilicet de vera ſanctitate, juxtà ea quæ hábentur in ipſorum expoſitione facti pag. 33. & ſeqq. de quo etiam plura paulò poſt ſubiicientur.

§. 20. Videri interim poterit P. Intorcetta pag. 86. in nota I. & X. circa literas *Xè*, *cai li & xe cai y*: ubi explicat totum myſterium hujus oblationis olerum, ſeu herbarum: *Ut clariùs cognoſcatur*, inquit, *ritus hoſce*

hoſce fieri ſolitos à literatis Magiſtro ſuo Confucio non eſſe idolatricos, ſed merè civiles, eoſdemque cum iis, quibus defunctos Magiſtros Sinæ honorare ſolebant. Quod etiam oblationis genus exponit, & ad idem intentum valere oſtendit ex ipſis libris Sinicis P. Fraciſcus Xaverius Philippuccius in Præludio nuper impreſſo pag. 60.

§. 21. Neque magis fundatum eſt, quod notavit P. Fr. Varo de extremis illis verbis Conſtitutionis Regis *Humvu*: cùm nulla facta ibi fuerit mentio de titulo, ſeu voce *xing*, ſed ſolùm de titulo Præfecti, ſeu Magiſtri, ſub quo ſcilicet voluere antiqui Sinæ, ut Confucius à Poſteris literatis honoraretur, quemadmodum in ea Conſtitutione præſcriptum eſt; & uti fuſiùs exponit P. Furtado in Tractatu compoſito jam ab anno 1640. ac nuper impreſſo, ſcilicet §. 24.

§. 22. Ecce autem quomodo eumdem P. Fr. Varum, circa explicationem vocis *xing* ab ipſo datam re-

darguit P. Philippuccius in opuſculo in China ſcripto ann. 1683. cujus originale habetur in Archivio Romano Societatis, ſub titulo: *Sagitta retorta*: ubi mentionem facit Tractatus de Sinicis controverſiis Hiſpanica lingua ab eodem Varo conſcripti; cujus tamen fragmenta tantùm eatenus ſe aſſequi potuiſſe dicit: *Ubi explicat*, inquit, *Sinicam literam* xim, *citat* (*P. Fr. Varo*) *Sinenſe vocabularium nomine* cù lùy, *ejuſque textum perperam mutilat, intelligit, atque declarat. Integrum Sinici vocabularii textum, & hunc eundem à P. Varo diminutè citatum, ut ſimul conferantur, ad marginem appono*; Et reliqua, quæ videri loco illo poterunt. Ubi nec omittendum, quod notavit idem P. Philippucius ibidem, nimirum *maximè mirum videri debere, quomodo P. Varo eidem Literæ* Xim *ſenſum* Sancti, *aut* Sanctitatis, *prout in Eccleſia ſumitur per ſummam violentiam velit imponere; quamvis ipſe cum ſuis aſſeclis nullam Sinenſes Ethnicos ve-*

ræ

ræ divinitatis rerumque ſupernaturalium notitiam habere, profiteatur.

§. 23. Tertiò. Proferunt Adverſarii Authoritatem P. Fr. Dominici Navarrette Tom. 2. Tract. 2. pag. 118. num. 2. *Apud quem*, inquiunt, *reperitur totum* Reſultatum, *ſeu ſumma congreſſus Patrum Societatis congregatorum anno* 1628. *in* Kiating, *Provinciæ NanKinenſis, qui Tabellam Confucii interpretati ſunt:* Locus ſacri animi literarum Parentis ſummæ ſanctitatis, & maximæ perfectionis.

§. 24. *Nec diſſimili modo*, inquiunt, *Tabellam illam interpretantur Miſſionarii Dominicani, & Franciſcani*: Eoque referunt, quod habet P. Fr. Antonius à Sancta Maria ex Ordine Sancti Franciſci, in Reſponſo ad Roboredum, ſub nomine Fratris Joannis à S. Marco laici Ordinis S. Franciſci in ſecundo puncto, clauſula 7. apud Navarrettam tom. 2. ex libro *Suxu Chim, Xan lun*, quem dicit præ manibus omnium haberi: ubi ſcilicet narratur, quòd

ea nocte , qua Confucius natus eſt , venerunt è Cœlo in illud cubiculum quinque ſplendidiſſima lumina , & audita eſt muſica Cœleſtis , cum vocibus per aera glorificantibus Cœlum, quòd puerum tam ſanctum , ac plenum virtutibus procreaſſet , &c. Atque Illuſtriſſimus de Nicolais ait hanc hiſtoriam de nativitate Confucii contineri in libro *Ki ay*, quem apud ſe habet cum imaginibus totam ejus ſeriem repræſentantibus: uti ferè in myſteriis Chriſti Domini fieri apud nos ſolet.

§. 25. Reſpondent PP. Societatis Authoritatem P. Fr. Dominici Navarretæ nullius in hoc puncto momenti videri debere , nec quando vocem *Xim* Confucio attributam interpretatur ipſe de ſanctitate; ut qui ſupponit alibi tanquam certum, vocem *Xing* non ſignificare veram ſanctitatem; uti videre eſt apud illum tom. 2. pag. 191. col. 2. nu. 2. ubi ſcilicet probare conatur, nullum eſſe baptiſmum Sinicis verbis collatum: quia, inquit, voces *Xin Xim*

non

non ſignificant *Spiritum Sanctum*, juxtà Gentis illius inſtitutionem. Neque quoad ea quæ profert de ſummâ congreſſus Kiatinienſis; ut qui ea ſine ulla prorſus authoritate, & contra omnem veritatis ſpeciem profert; quemadmodum demonſtratum eſt in Tractatu nuper edito, cujus titulus eſt: *Monumenta Sinica*, cùm & inter alia in eo congreſſu, quem habitum fatetur anno 1628. comparere faciat P. Alexandrum Valignani, quem conſtat mortuum fuiſſe Chinæ, & Japoniæ viſitatorem anno 1606. hoc eſt, duobus ſupra viginti annis priùs: cùm etiam conſtet ex P. Furtado, qui de his materiis ſcripſit anno 1636. & 1640. hoc eſt, octo annis poſt congreſſum, eamdem jamdiu antea fuiſſe inter Miſſionarios Sinenſes ſententiam circa hos ritus, quæ actenus perſeveravit.

§. 26. Atque maximam reipſa fuiſſe in illo cætu Sententiarum concordiam circa ritus Sinenſes, à Jeſuitis permiſſos atteſtatus eſt P. Intorcetta alloquens ipſum Navarret-

tam in ſua Reſponſione ad illum data in Urbe Cantonienſi anno 1668. pag. 295. ubi poſtquam retulit, quod dixerat P. Fr. Dominicus Navarrete: nimirum, *ſi nulla major fuiſſet difficultas; quàm quæ in ipſo argumento apparet, quæ ſanè nulla eſt*; in illo congreſſu Kiatinienſi *non fuiſſet ſententiarum, ac judiciorum ea diſcrepantia, quam fuiſſe refert P. Gabiani; imò non erat materia congreſſus. Eſt igitur aliquid amplius*: ità Reſpondit P. Intorcetta: *Pater Gabiani adhuc extat in vivis*: (erant autem tunc omnes ſimul in eadem Domo) *nec ipſe dixit, Patres* cætus Kiatinienſis *habuiſſe diſconvenientiam, ſed poſt debitum examen, uti moris eſt in cætibus, maximam convenientiam, ſententiarumque concordiam*. Quod & ſimili modo refert, & atteſtatnr P. Brancatus *in facie* ipſius P. Fr. Navarretæ, uti habetur in ejus Tractatu, part. 2. pag. 171.

§. 27. Ad id quod ſubjungunt Adverſarii, Miſſionarios Dominicanos, & Franciſcanos non diſſimili modo in-

inrerpretatos fuiſſe Tabellam Confucii, ſcilicet de ſanctitate illi attributa: Reſpondent Patres Societatis id non eſſe verum, de omnibus, nec fortè etiam de pluribns, cùm nec verum ſit de famoſo Navarreta, uti paulò antè oſtenſum eſt: ſed neq; verum id eſt de P.Fr. Dominico Sarpetri, & D. Gregorio Lopez, & P. Fr. Joanne de Paz, qui fuerunt omnes ex Ordine S. Dominici, & quos conſtat ſcripſiſſe pro praxibus Jeſuitarùm integros Tractatus, qui extant; præter alios, qui erant in China tempore cætus Cantonienſis, quos omnes conſtat iiſdem ſubſcripſiſſe ex teſtimoniis fide digniſſimis, quæ alibi producuntur. Videatur etiam P. Philippuccius in præludio pag. 133. ubi refert mandata trium Provincialium, ex Ordine S. Dominici ſuis in China verſantibus impeperantium, ut ſe Jeſuitis conformarent in praxi rituum Sinenſium.

§. 28. Quomodo verò pro prætenſa illa ſanctitatis intelligentia, aut attributione citari poteſt inter Franci-

ciſcanos P. Fr. Antonius de Sancta Maria, quem conſtat ſcriptis neſcio, quibus P. Longobardi ità pertinaciter abuſum eſſe, ut contenderit omnes Sinas ab antiquis retrò temporibus Atheos fuiſſe, nullius rei ſpiritualis, nedum ſupernaturalis notitia imbutos? Sed neque D. à Leoniſſa, qui Franciſcanus eſt, ità inhæſit illi explicationi de ſanctitate, ut aliam non admiſerit; tum in Reſponſis ad puncta Eminentiſſimi Cardinalis Caſanate, puncto 31. ubi Tabellæ Confucianæ inſcriptionem ità interpretatur: *Sedes Spiritus Sanctiſſimi, vel ſapientiſſimi defuncti Magiſtri Confucii*, tum in Reſponſis ad quæſita S. C. P. quæſ.4. ubi poſtquam dixit ſenſum literalem ejuſdem inſcriptionis eſſe: *Trono, Sede, ò rappreſentativo, e quaſi imagine del Spirito del ſantiſſimo, ò ſapientiſſimo defonto Maeſtro Confucio, ſubdit la voce* Xing, *ſignifica ſanto, ò ſavio.*

§. 29. Quod ſpectat ad Hiſtoriam illam Confucii productam à P. Fr. Antonio de Sancta Maria ſub no-

nomine Joannis à S. Marco Fratris Laici: Reſpondent PP. Societatis jure illam fuiſſe à P. Fr. Antonio de Sancta Maria ſub alterius nomine expoſitam, utpote contrariam propriis ipſius principiis de perpetuo Sinarum atheiſmo, rerumque ſpiritualium ignorantia: ac videri illam ominò dignam, quæ ab aliquo fratre laico produceretur, ut quæ per ſolas rudium, & imperitorum manus in China currat, abſque ulla certa libri, in qua continetur authoritate: quemadmodum, & apud nos multa ſæpe ejuſmodi currunt in vulgus, quæ nullius ſunt apud peritos authoritatis. Ecce quomodo de illo libro *Kia yu*, in quo ejuſmodi Hiſtoria continetur, jamdudum locutus ſit P. Philippuccius in Tractatu quem in China compoſuit ad reſpondendum certis quibuſdam Textibus ibi objectis: in Reſponſ. ad 30. *Quoad* Kia yu, inquit, *videatur Proœmium* Kia yu *impreſſum* per Cham mim piè, *& videbitur nullam fidem adhibendam eſſe huic libro.*

Primo

Primò, quia non eſt opus immediatè Confucii. Secundò, quia neſcitur, qualis ſit verus Kia yu; *ſunt enim multi inter ſe diverſi. Tertiò, quia ſepius fuit perverſus ablato meliori, & relicto pejori, &c.*

§. 30. Huc etiam referri poteſt, quod teſtatur Illuſtriſſimus Lopez in ſuo Tractatu de Ritibus Sinenſibus, approbato, & aucto à Reverendiſſimo à Leoniſſa in Sinis adhuc verſante. Nimirum cap. 1. num. ult. ubi dicit eſſe *quoſdam in China Ludimagiſtros, infimæ notæ homines, qui ad paruulos animandos Confucii nomen in charta deſcriptum iis proponunt, eoſque huic ſe inclinare jubent, ingenium à Confucio eis conferendum dictitantes. Tum addit ſe etiam audiviſſe in Urbe* Focheu *à paucis annis nonnullos tanquam hæreticos ſectæ* Tao, *cepiſſe idolum Confucio ponere, ab eòque bona petere, eique libellos ſupplices ſcribere, & hoc comburere cum aliis, quos idolis ſcribunt, coram quibus eos libellos ſimul omnes comburunt.*

§. 31.

§. 31. Meminit ejuſdem Sectæ P. Intorcetta in Tractatu impreſſo de Cultu Sinenſium pag. 169. ubi dicit illam habere Confucii Statuam repoſitam in medio duorum idolorum *Foē*, & *Laō cu* intra Templum, quod inde appellant Templum trium legislatorum, ſeu trium legum: *San kiao tam*. Ubi, & oſtendit quomodo id minimè ſufficiat ad conſtituendum Confucium Idolum in tota Republica Sinenſi: perinde, ac v.g. non ex eo Plato, vel Ariſtoteles pro Idolo inter nos habendus eſſet, quòd eum perverſi aliqui divinis honoribus colere vellent, aliis paſſim reclamantibus. Atque ea ſcilicet fuit origo præcipua imaginationis Kirkerianæ circa apotheſim Confucii, quam Adverſarii tam avidè non ità pridem arripuere; neque adeò ſine aliqua, ut apparet, mala fide; quæ & ibidem ſuam abundè ſolutionem habere videtur; quemadmodum, & jam indicatum eſt in ipſa expoſitione facti, quæ præceſſit.

DUBIUM II.

An ædes Confucii ſint vera Templa? Et an vox , Miao *Templum ſignificet?*

§. 32. AFferunt primò . Adverſarii Jeſuitarum ad id probandum varia ex P. Fr. Navarretta : quorum hæc videntur eſſe præcipua . Primum quidem eſt quod dixit P. Roboredo , *cujus Reſponſum*, inquiunt , *pro ſocietate datum anno* 1638. *in principio controverſiarum, extat impreſſum in* 2. *Tomo Navarretæ tract.* 4. *& ultimo . In hoc autem Reſponſo nu.* 10. *ait : Tutto quello , che in queſto punto dicono (Patres Dominicani , & Franciſcani) della ſtima politica , che tengono , ed honore civile , che fanno li Chineſi al Filoſofo Confucio , delli Tempii dedicati ad eſſo , dell' offerte , che li fanno , è verità .*

§. 33. Alterum eſt multiplex authoritas ex libris Sinicis petita , *ac præ-*

præſertim ex Calepino, ſeu Dictionario Sinico, in explicatione vocis Miao, *(quo pacto vocantur ædes Confucii) aſſeritur*, inquiunt, *eſſer l' iſteſſo, che tempio de defonti, &c. Tum in libro claſſico* Liki, *tom. 2. fol. 3. dicitur, che il* Miao *ſerve perche in eſſo ripoſino l' anime de defonti, & fol. 32. idem repetitur, & expreſsè dicitur, che il* Miao *fù iſtituito per offerire il Ci alli defonti,* id eſt *Sacrificium, ut interpretatur ipſe Navarreta, &c. Atque in fine dictæ controverſiæ 7. pag. 160. dicit idem Navarreta: Quando in qualche tempo il* Miao *haveſſe ſignificato la Sala Regia, importaria poco, perche ſono migliaja d'anni, che la voce* Miao *è ſtata impoſta, & applicata per ſignificare il tempio, &c.*

§. 34. Reſpondent PP. Societatis hæc videri ſanè debiliſſima: Nam quòd ſpectat ad P. Roboredum, quem Adverſarii dicunt pro Societate ſcripſiſſe, anno 1638. in principio controverſiarum, jamdiu Patres Societatis Authorem hunc è numero ſuo-

rum excluſerant : Sic enim de illo ſcribebat P. Intorcetta ad ipſum P. Fr. Navarretam in Cantone anno 1668. uti habetur in Tractatu de cultu Sinenſium pag. 223. *Teſtimonium P. Bartholomæi de Roboredo nihil officit rebus noſtris . Nam ſtatim, ac ex India Macaum pervenit , Manilam à Superioribus miſſus propter negotia Macaenſis Collegii , nihil de Sinicæ Miſſionis controverſiis neſcire potuit : quòd ſi in ipſa Inſula interrogatus aliquid , vel dixit, vel ſcripſit, etiam Manilenſium Superiorum juſſu, id, homo audacis ingenio , & ſe plenus ex ſuo ſenſu potiùs dicere maluerit, quàm ſe talium rerum ignarum confiteri . Atque eum* , ſubdit P. Intorcetta *fuiſſe è Societate dimiſſum* , *certè non propter virtutis exceſſum.*

§. 35. Quanquam quod loco adducto ajunt , confeſſum eſſe Roboredum , ſi bene attendatur , aliud non eſt , niſi quòd cultus Confucii ſit aliquid *civile* , & *politicum* : non ſacrum , & religioſum ; quòd ibi ſumatur vox *Templi* in lata ſignificatione,

tione, ſicuti conſtat ſumptam illam fuiſſe, & ſumi etiam ab iis, qui dicunt cultum Confucii eſſe merè civilem: ſicut & ſumpta olim fuerat à Patre Matthæo Riccio, ſeu Trigaultio in lib. de Expeditione Chriſtiana apud Sinas lib. 1. cap. 10. ubi mentio fit de Templo, ſeu Fano Confucii: qui etiam locus ab Adverſariis Jeſuitarum objectus eſt; cùm tamen ibidem ſimul expreſsè dixerit uterque. *Nullas ibi preces recitari Confucio, nec ab eo quidquam peti, aut ſperari, &c.* Neque verò minùs proclive fuerit, ut nomen *Templi* in lata ſignificatione ſumeretur, quàm ipſum nomen *Altaris*, juxta ea quæ continentur in Decreto anno 1645. ad quæſitum 12. & 15.

§. 36. Neque magis urgent authoritates, quas congeſſit P. Fr. Navarreta ex libris Sinicis ad probandum vocem *Miao* ſignificare Templum defunctorum. Nam quod profert ille ex Dictionario Sinico, ita diluitur à Patre Brancato part. 2. de Sinenſium Ritibus politicis pag. 9. *Invenitur*,

inquit, *adhuc alia ſignificatio ejuſdem vocis* Miao *in Dictionario* Cu guey, *quam etiam apponam, etſi ad rem noſtram non admodum pertinere videatur. Significat igitur ſimilitudinem referre, veluti figura ſimilitudinem refert Prototypi*. Propterea ait: *Id quod dicitur* Miao, *figura eſt, qua exprimitur ſimilitudo vultus mortuorum parentum. Verba Sinica ſunt, &c.* Itaque videtur P. Fr. Navarreta interpretatus eſſe *Templum defunctorum*, quod in Dictionario Sinico appellatur *ſimilitudo vultus mortuorum parentum*: quæ ſanè diverſiſſima ſunt.

§. 37. Eumdem Dictionarii Sinici locum adducit Pater Intorcetta pag. 99. ac dicit verba illa Sinica eſſe *So y fam ſe ſien gin chi yum mao ye*; notatque pag. 100. errorem Rev. Patris Fr. Antonii à Sancta Maria, qui eumdem locum Sinici Dictionarii *Cu guey*, ita expoſuit, ut voluerit binas literas *fam ſe* ſignificare ſimilitudinem, & vultus Idolorum *ſe* dictorum, non advertens ambas

li-

literas propriè ibi eſſe verba, aut nomina. *Ambæ enim*, inquit Pater Intorcetta, *ſignificant repræſentare, figuram referre, oſtendere, ac demonſtrare. Fe itaque litera nullo modo indicat Idolum: alia namque litera ſe eſt illa, quæ Idolum indicat, ut ex ipſa literæ figura patet. Hinc collige*, ſubdit idem Pater Intorcetta, *non eſſe nimiùm fidendum expoſitioni illarum ſententiarum, quas dictus Pater Fr. Antonius contra nos congerit.* Adjungamus & illi P. Fr. Navarretam, utpote cum illo conſœderatum, eâdemque utentem expoſitione in loco allegato.

§. 38. Quòd autem dixit idem Pater Fr. Navarreta inveniri in libro claſſico *li ki quòd miao ſerviat ut in eo quieſcant animæ defunctorum*, intelligitur de tabellis defunctorum nomine inſcriptis, quæ in illo reponi ſolent ad perpetuam defunctorum memoriam, ut alibi declaratur, ubi de ejuſmodi tabellis agitur. Neque hîc abs re erit adnotare quod ait Pater Fr. Varo parte 2. cap. 3.

art. 2. quòd quamvis in libris *Liki* fiat mentio de Aulis dedicatis Magiſtris defunctis, nulla tamen illarum, *inquit*, in dictis libris appellatur *miao*: quod quidem videtur eſſe oppoſitum iis, quæ ex Patre Fr. Navarreta proximè adducta ſunt.

§. 39. Quod verò ab eodem Navarreta dicitur inſtitutum eſſe *miao*, ad offerendum *Ci* defunctis, etſi concedatur, quid inde concludi poteſt, cùm negetur ibi nomine *Ci* Sacrificium ſignificari, uti intendit Pater Fr. Navarreta, contra quem alibi etiam de hac re pluribus agitur.

§. 40. Denique ruit poſtrema ejus adnotatio de antiqua translatione vocis *miao* ad ſignificanda *Templa, Idolum* per adnotationem P. Brancati parte 2. de Sinenſium Ritibus politicis pag. 9. ubi ſic habet: *Quòd autem Bonzii, & Sacrificuli nomen* miao *uſurpaverint Idolorum fanis, hoc non efficit antiquæ denominationi, & inſtitutioni, cum hodie Aulæ Regiæ vocentur* miao. De quo etiam plura jam dicta ſunt à Patribus Socie-

cietatis in ſua expoſitione facti.

§. 41. Secundò. Adducunt Adverſarii ex Patre Fr. Franciſco Varo præſertim ſequentia. Primum eſt quod dicit ille part. 2. cap. 3. art. 2. ſe latè probaſſe in prima parte cap. 3. per totum, vocem *miao* ſignificare verum Templum: *Sed hac prima pars*, inquiunt, *non extat hîc Romæ*; *unde ex ea nihil notari poteſt*.

§. 42. Secundum eſt, quod notat ille loco citato partis 2. ſcilicet: *Quòd Rex* Chinty, *qui regnavit in China ante annos* 900. *dederit Ædibus particularibus Confucii nomen miao*. Ubi & advertit, quòd ante illud tempus pluſquam per annos 660. Secta idololatrica ingreſſa erat in Chinam, ejuſque Templa vocabantur *miao*.

§. 43. Tertium eſt, quod notat idem Pater Fr. Varo ex libris Sinicis *Ia hio yen pu* haberi, quòd primus Rex familiæ *Tang*, *qui regnavit*, inquit, *ab annis* 800. *ordinavit erectionem ædium ſub titulo* miao, *unam Confucio*, *&* *alteram*

Cheu Kung, *qui eſt Regulus antiquus honoratus tanquam Sanctus, &c.*

§. 44. Reſpondent Patres Societatis neque in his magnam vim ineſſe videri ad probandum vocem *miao*, Confucii Aulæ attributam, ſignificare verum Templum, niſi aliunde probetur fieri ibi actiones Religioſas: præſertim cùm conſtet Patrem Fr. Varum multa in his peccaſſe contra Sinicam eruditionem.

§. 45. Nam quod ſpectat ad primum: juvat audire Patrem Philippuccium, in cujus manus venerat locus ille partis 1. cap. 3. in quo dicit Pater Fr. Varo ſe latè probaſſe vocem *miao*, ſignificare verum Templum. En quomodo loquitur Pater Philippuccius in *ſagitta retorta* §. 19. *In Tractatu*, inquit, *de Sinicis Controverſiis part.* 1. *cap.* 3. *ubi agitur de explicatione Sinicarum literarum* miao, *&* Cu tam, *dictus Pater Fr. Varo arguens Patres Societatis, qui literam* miao *apud Sinas politicum ſenſum frequenter habere defendunt, ſic loquitur: Adducant paritatem caſus,*

ſus, quo apud omnes ædificia dedicata Confucio, &c. (quæ noſtri Patres, Aulas appellant) ad cultum politicum erigantur, & apud omnes vocentur miao. *Hoc neque in antiquis Philoſophis, neque in modernis Regni* (Sinenſis) *Auctoribus unquàm dicti Patres invenient. Hæc Pater Varo, qui hac univerſali negativa propoſitione non tantùm immanem protulit falſitatem, ſed ſibimet, ſuæque apud alios exiſtimationi inſanabile vulnus inflixit. Quid enim de illius peritiâ, quam ex Sinicorum librorum lectione haurire debuerat, judicabitur, cùm in eiſdem libris contra dicti Patris aſſertionem plurima paſſim teſtimonia etiam à non quærentibus inveniantur, ſed ne plus nimio lectori tædium afferamus, copioſus de hac materia catalogus in gratiam Patris Varo alibi recitabitur; unum ſolummodò, ſed plurimis æquivalens in præſens ſufficiat teſtimonium adducere celebris, & ubique noti vocabularii* Chim cu tùm *dicti, quod in explicatione literæ* miao. Sic ait:

Omnis Regii Palatii pars anterior, & illorum Præfectorum, qui Sù Ta Fu *appellantur, Aula quam vocant audientiæ, univerſaliter* miao *denominantur*. Hæc vocabularius. *En quomodò Patris Varo univerſalis negativa, & falſiſſima propoſitio, illi contradictoriâ univerſali affirmativâ, & veriſſima propoſitione retunditur, atque de manifeſta falſitate ad evidentiam convincitur*. Hactenùs Pater Philippuccius.

§. 46. Quoad ſecundum non minùs peccaſſe videtur idem Pater Fr. Varo contra Chronologiam Sinicam, quando dixit Regem *Chin ty* regnaſſe in China ante annos nongentos. Videatur Chronologia Sinica, quæ extat in fine libri Pariſiis impreſſi, cui nomen: *Confucius Sinarum Philoſophus*; & invenietur Regem, de quo agitur, *Chin tum*, non *Chin ty* dictum, regnaſſe ſolùm ante annos ducentos quinquaginta, ſcilicet circa annum Chriſti 1450.

§. 47, Quin nec licèt Rex *Chin tum* inveniatur aliquid ordinaſſe circa

ca cæremonias Confucianas, ut liquet ex *Tamin hoey tien*, ubi continentur ejus conſtitutiones poſt conſtitutiones Regis *Humvu*, non tamen is eſt, qui ædibus Confucianis nomen *miao* impoſuerit, ſed alius ab illo Sinarnm Rex, qui ſuperiori ſolùm ſæculo vixit, *Kiacim* appellatus, uti videre eſt apud Patrem Brancati 1. part. pag. 324. ubi relatis hujus etiam Imperatoris conſtitutionibus ex *Tamin hoey tien*, ſic habetur. *Hoc eodem anno Imperii Imperatoris* Kiacim, *Imperator correxit oblationes veteribus faciendas, &c.* Et paulò inferiùs; *Item idem Imperator mutavit Palatium Confucio dicatum, quod dicebatur* Ta Chin tien, *& pro illo aulam erexit dictam veteris præceptoris aulam*: Sien sù miao.

§. 48. *Neque obſtat adnotatio illa Patris Fr. Vari, quòd ante illud tempus, pluſquam per annos ſexcentos* (longe plures dicere debuerat) *Secta idololatrica ingreſſa erat in Chinam, ejuſque Templa vocabantur*

miao

miao. *Nam quid inde concludi poteſt; cùm aliunde conſtet vocem illam, ſicut & vocem* Tam, *quæ aulam ſignificat, etiamnum apud Sinas adhiberi ad alia ædificia, quàm ſacra, & religioſa, uti jam ſatis oſtenſum eſt.*

§. 49. Hinc & ad tertium de erectione ædium, quas dicit Pater Fr. Varo à primo Rege familiæ *Tang* ante annos 800. ſub titulo *miao*, conſtitutas fuiſſe Confucio, & *Cheucum* inter Sinas honorato ut Sancto: Reſpondetur videri id omnino gratis dictum, cùm, uti proximè indicatum eſt, primus Sinarum Rex, qui nomen illud indidit ædibus Confucianis, fuerit Rex *Kiacim*, qui ſolùm à 150. annis regnavit. Cum & aliunde ſatis conſtet *Cheucum*, licèt homo probus à Sinis habitus fuerit, nunquam tamen fuiſſe inter Divos Sinicos relatum: uti ſignificat Pater Intorcetta in Tractatu de cultu Sinenſium pag. 163. ubi mentionem Divorum illorum facit; itemque Pater Brancatus in expoſitione

conſtitutionum Imperatoris *kiacim*, de cultu Confucii parte 1. pag. 323. ubi poſtquam retulit Imperatorem dicentem ſe offerre munera antiquis heroibus, cunctis Magiſtris unà cum *Cheu cum*, & *Cum cu*, ideſt, *Confucio*: ſubdit: *Hic* Cheu cum *olim Regulus, regiſque patruus, magnis encomiis propter virtutes, & morales Doctrinas celebratur à Sinis: atque ex hoc loco bene colligere poſſunt Adverſarii, in qua ſerie collocetur Confucius à Sinis; in ſerie priſcorum præceptorum, non autem idolorum. Eumdem enim honorem Confucio exhibent, ac priſcis preceptoribus; quos cùm nemo inter Idola collocaverit, nec Confucium collocant, atque adeo neque nos collocare debemus.*

§. 50. Certè mirum eſt, cùm ſecundùm Adverſarios Confucius colatur in Sinis tanquam Sanctus, vel divus iſque omnium Divorum Sinicorum ſpectatiſſimus, ut pote Tem-[illegible], ut ipſi dicunt. in omnibus fe-re oppidis Imperii Sinici ſibi conſti-

tuta

tuta habens, cum præcipuis, ac maximis honoribus per ſtatutas vices ipſi exhibitis, qui deſcripti ſingillatim inveniuntur in Sinicis Ritibus, aliiſque libris paſſim extantibus: mirum, inquam, eſt Adverſarios argumenta conquirere voluiſſe tam remota, quàm remota ea ſunt, quæ hactenus protulere, ad evincendam cultus Confugiani religionem, quæ ſanè ſi qua exiſteret, ità ſe per propriam ſpeciem prodere deberet, ut non ſolùm nullam de ſe dubitationem relinqueret; Verùm etiam ad omnem cujuſcumque cultus in China religioſi ſpeciem detegenda valeret, utpote omnium maxima, & ſpecialiſſima; nedum ipſa alienis quaſi indiciis indigeret, ut deprehenderetur.

DUBIUM III.

An literæ Xin Goey *Tabellæ Confucii inſcriptæ idem ſignificent, ac* Spiritus, ſive animæ ſedes, locus & thronus: *ita ut Sinæ credant in eam reipſa venire ſpiritum, ſeu animam Confucii.*

§. 51. AD hoc probandum adducunt Adverſarii Jeſuitarum quæcumque congeſſit P. Fr. Varo 3. p. cap. 3. ubi per plures articulos agit de tabellis defunctorum, in quibus inſcriptæ ſunt eædem literæ *Xin goei*; quarum, & contendit hunc eſſe proprium, & verum ſenſum: ſcilicet *Sedes, locus, & thronus animæ ſeu ſpiritus, ibi reipſa reſidentis, non quidem permanenter, ſed quaſi per vices, ita ut eat, & redeat*: uti indicant, inquit P. Varo art. 7. num. 18. pag. 117. literæ, quæ hanc reſidentiam in libris

bris Sinenſibus exprimunt, ut ſunt *Chy* quieſcere, *kiang* deſcendere, *Lay kĕ* accedere, *lay kiang* venire ad fruendum.

§. 52. Itaque ſecundò, P. Fr. Varo dicit hoc clarè aſſeri de ſpiritu, ſive anima Regis *Vven vang* in libro claſſico *Xy King* Tract. 8. cap. *Cheu ſung* fol. 1. ubi dicitur: *Rex* Vven Vvang, *ſive ſua virtus manens in Cœlo, inde veniebat in Templis*. Ubi & Gloſſa interlinealis *Chu Chu* explicans iſtum textum dicit: *Spiritus* Vven Vang *manens in Cœlo inde venit, & deſcendit ad Tabellam, quæ eſt in dicto Templo.*

§. 35. Reſpondemus ante omnia ad hunc textum clarum Patris Fr. Varo; quo ſcilicet clarè aſſeritur realis præſentia ſpirituum in Tabellis inſcriptis *Xin goei*, uti ipſe dicit; ut eo expedito quid de obſcurioribus deinceps cenſendum ſit facilè appareat. Sciendum autem eſt librum X*i king* ex quo Textus ille extractus dicitur, eſſe librum quemdam poeticum, uti omnes fatentur.

Hoc

Hoc ſuppoſito, quomodo dici poteſt quòd ibi clarè aſſeratur realis adventus ſpiritus Regis *Vven Vang* ad Tabellas, in ejus Templis collocatas, propterea, quòd ibi ſtylo poetico dictum ſit Regem *Vven Vang* ſcire ejus virtutem manentem in Cœlo inde venire, & manere in Templis? Annon ipſi nos habemus plures expreſſiones ſimiles, quæ in ſenſu metaphorico ſunt accipiendæ etiam cum de ſanctis, aut mortuis loquimur?

§. 54. Ad hunc finem videri poterit Textus alius ex eodem libro adductus apud P. Philippucium in explicatione 37. Textuum, Textu 29. ubi ſermo eſt de celeri harmonia inſtrumentorum muſicorum appellata *Xao*, inventa ab Imperatore *Xun*: quæ ibi dicitur attrahere non ſolùm ſpiritus defunctorum; ſed & aves ſimul, & quadrupedes, & præcipuè aquilam, quæ cum cæteris animalibus tripudiabat magno cum lepore, ac venuſtate. Certè adventus ille animalium conjunctus

cum

cum adventu ſpiritus defunctorum ſatis oſtendit, quo ſenſu ſit adventus iſte accipiendus, ſcilicet ſenſu metaphorico, uti P. Philippucius ibidem notavit.

§. 55. His adde, quòd Textus hic ex P. Fr. Varo adductus videtur eſſe idem cum Textu ſecundo, qui extat apud eumdem P. Philippuccium in explicatione citata; ubi dicitur, quòd Vven vang *aſſiſtit ad latus* Xamti, *& quòd aſcendit, & deſcendit, & ab eo nunquam ſeparatur*. Ubi Commentator dicit hoc ita eſſe, *quia filii, Vven Vang accipiunt illius beneficia*. Ita ſcilicet productus fuit hic Textus à P. Fr. Flores ex ordine S. Franciſci, ac traditus P. Philippuccio in China exiſtenti, abſque ulla mentione deſcenſus realis ad Templa, aut tabellas, ſed cum ſola intentione probandi Sinas ſperare aliquid ab avis ſuis.

§. 56. Ad hoc autem reſpondit ibidem P. Philippucius antiquos Sinenſes reputaſſe *Vven Vam* hominem ſan-

ſanctum aſſiſtentem in Cęlo apud *Xamti ſupremum Imperatorem*: atque inde inferri quidem Sinas credidiſſe homines virtuoſos in Cęlo frui gaudiis, *Xamti*, indeque ſuccurrere hominibus in terra exiſtentibus: at non inferri, quòd Sinæ petant, & ſperent generaliter à ſuis defunctis. Sicut nec ex eo, quod nos credamus Sanctos in Cęlo frui beatitudine, poſſeque nobis à Deo gratias obtinere, rectè infertur nos ſperare aliquid communiter à defunctis noſtris, qua de re etiam videri poterit P. Intorcetta in libro impreſſo pag. 162.

§. 57. Secundò. Adducit P. Varo unam authoritatem ex Tom. 2. *Liki* cap. *Kiao Te Seng*, fol. 14. ex qua dicit apparere verum ſenſum Sinenſium circa Tabellam. Nimirum ibi dicitur: *quòd vapor animæ, homine defuncto, redibat in Cęlum, & corpus in terram; ideò in oblationibus* Chý *quærebantur duo vapores, ſive qualitates* yn yang. *Illi qui erant Regni* Yn, *primò requirebant apud*

 yang;

yang; *illi autem Regni* Cheu *primò requirebant apud* Yn; *vocando ſpiritus intra Aulam, & Domum, interea dum ſubſtitutus, qui erat quidam vivus, qui antiquitus loco defuncti ſubſtituebatur, manebat, & ſedebat in Aula principali*. Et reliqua, quæ videri apud ipſum poterunt, & quæ ex ſubjecta Reſponſione ſatis conſtabunt.

§. 58. Opponunt huic loco Patres Societatis Reſponſionem P. Philippuccii, quæ habetur in citata explicatione 31. Textuum. ad ipſum Textum 37. inquit, *citantur duo paragraphi capitis* Kiao Te Seng: *In primo paragrapho, qui inſinuatur cum paucis literis Textus, & ejus Commentarii agitur de caremonia* Chao hen, *de qua actum eſt diſtinctè in Reſponſione ad Textum* 35. *Sed quoniam adnotata tam iteratò, & exaggeratè loquuntur de iſta conjunctione, aut unione ſpirituum, aut* hoên pè: *ut clarius videatur hoc eſſe meram ceremoniam exprimentem, aut ſignificantem deſideria,*

quibus

quibus vivi tenentur erga defunctos; & quòd verè Sinæ non credant talem unionem, præter id quod dictum eſt ſuprà, videatur in Li ki *caput* li yun, *quod ita loquitur.*

. . . .

. . . .

§. 59. *Ideſt* inquit P. Philippucius : *Maritus, & uxor alternis vicibus faciunt oblationes ad faciendas reverentias, & honores* hoên pè; *& iſtud eſt, aut ſignificat unire ſe, & conjungi. Hucuſque textus. Unde videtur clarum, unionem* hoên pè *conſiſtere in illis actibus reverentiæ, & laudum, quas illis exhibent: atque Sinas non credere phyſicam unionem, quam adnotata adeo aſſeverant. Quoad duo verba* Chao chō *primi* §. *textus, explicata ſunt in Reſponſione ad* 35.

§. 60. *Inſuper advertendum eſt,* inquit idem P. Philippuccius, *in hoc primo* §. *omiſſum eſſe unum punctum notabile, quod eſt in textu libri Sinici; & eſt, quòd in hac ceremonia* Chao hoen *fiunt oblationes in variis*

locis intra, & extra Domum, & nominatim coram lim guey, *aut tabella, quæ in hac textu vocatur* Chù. *Hinc manifeſtè arguitur, quòd ſi Sinæ crederent, animas defunctorum ſedere in dicto* Lim guey, *eas non quærerent per tot alia loca, & multò minùs in eodem* Lim guei; *eo quòd non dubitarent eas illic exiſtere. Certum ergo eſt hunc actum quærendi animàm defuncti, eſſe meram cæremoniam, & ſolùm denotare deſideria, quibus erga eam tenentur vivi.*

§. 61. *Quo ad* 2. §. ſubdit idem P. Philippuccius, *Textus, & Commentarius uterque, eſt valdè prolixus: major pars non facit ad quæſtionem noſtram, præter tria puncta. Primò loquitur de ſanguine, & pilo animalium oblatorum. Secundò de invocatione animæ defuncti ad fruendum oblationibus. Tertiò de tabellis defunctorum.*

§. 62. *Quo ad primum*, inquit idem, *non indiget declaratione, eo quòd textus & commentarius clarè dicat;*

dicat hanc cæremoniam offerendi ſannem, & pilos animalium ſignificare, quòd res oblata defunctis interiùs per ſanguinem, & exteriùs per pilos, oſtenditur integra, & æſtimatione digna. Clarè videtur hanc ſignificationem eſſe merè politicam, & oblationem non involvere ſuperſtitionem. Hanc adeò claram textus explicationem videtur reſpexiſſe Adnotatum 34. quod dicit: vocare eos intus cum ſanguine, & extra cum pilis. Arduum eſt concordare hoc cum textu.

§. 63. *Secundum Punctum eſt de vocatione animæ ad fruendum oblatione, & ità loquitur Commentarius,* ait P. Philippucius, *fit oblatio coram* Xĩn cò *(locus erat, ubi ponebatur* hoên pë, *aut involucrum ſerici ac repræſentandum defunctum, ut dicitur in Reſp. ad Adnot.* 34.) *Invitatur anima, ut veniat ad comitandum Præſidem functionis vocatum* Xi *cupientem ut anima fruatur oblationibus. Hucuſque Commentarius. Unde apparet hanc vocationem eſſe*

 me-

merum deſiderium, & demonſtrationem affectus; ex quo non poteſt deduci conſequentia, quòd à Sinis seriò credatur animas defunctorum venire,

§. 64. *Tertium Punctum*, ſubjungit P. Philippucius *iterum loquitur de* Lim guey, *aut tabella defunctorum, quæ hic vocatur* Chù : *Commentarius itâ loquitur . . . . Ideſt* : Xi, *aut Præſes functionum in honorem defunctorum factarum, eſt repræſentatio defuncti, eſt in loco, & hebet ſenſum, & ſignificationem æquivalentem tabellæ. Ità Commentarius. Hinc evidenter infertur, quòd* Xi, *&* Chù *habent eumdem ſenſum, & ſignificationem : & cùm* Xi *ſignificet repræſentationem defuncti, ergò tabella etiam eſt repræſentatio defuncti, & non ſedes animæ illius, ſicut in contrarium aſſeritur.*

§. 65. *Quod hic litera* Chù *ſignificet tabellam defunctorum* ; Li Ki, & Kia li, *& alii libri Sinici hac de re ſunt referti. Eodem modo dicendum eſt de litera* Xin, *quæ etiam ſignificat defunctum.*

Hic

Hic Textus 37. unicus eſt, in quo agitur de tabellis defunctorum inter alios textus propoſitos, & hîc clarum apparet, cui ex duabus opinionibus inſerviat.

§. 66. *Modò directè reſpondentes ad Adnotatum 37. dicimus*, ait P. Philippucius, *ceremonias vocandi animas defunctorum, juxtà textus adductos, non eſſe ſerias diligentias, aut curas, ut eæ veniant, ſed meræ deſideria, & affectus vivorum erga ſuos defunctos, neque verè intenditur earum reunio, neque ut veniant ad fruendum oblationibus, &c.* Quæ omnia majorem etiam lucem accipient ex iis quæ paulò inferiùs afferuntur ex eodem P. Philippucio alios Textus Sinicos ab Advarſariis oppoſitos explicante. Vide infrà in Dubio 6.

§. 67. Tertiò. Adducit P. Fr. Varo aliam quamdam Authoritatem ex Dictionario Sinico *Chu luy* (dici debuit, *Cu Guey*) in expoſitione literæ *Chù*; *vbi dicitur*, inquit, *Tabellas* Xin chù *erigi in Aulis Proge-*

merum deſiderium, & demonſtrationem affectus; *ex quo non poteſt deduci conſequentia, quòd à Sinis seriò credatur animas defunctorum venire,*

§. 64. *Tertium Punctum*, ſubjungit P. Philippucius *iterum loquitur de* Lim guey, *aut tabella defunctorum, quæ hic vocatur* Chù : *Commentarius ità loquitur . . . . Ideſt* : Xi, *aut Præſes functionum in honorem defunctorum factarum, eſt repræſentatio defuncti, eſt in loco, & habet ſenſum, & ſignificationem æquivalentem tabellæ. Ità Commentarius. Hinc evidenter infertur, quòd* Xi, *&* Chù *habent eumdem ſenſum, & ſignificationem : & cùm* Xi *ſignificet repræſentationem defuncti, ergò tabella etiam eſt repræſentatio defuncti, & non ſedes animæ illius, ſicut in contrarium aſſeritur.*

§. 65. *Quod hic litera* Chù *ſignificet tabellam defunctorum*; Li Ki, *&* Kia li, *& alii libri Sinici hac de re ſunt referti. Eodem modo dicendum eſt de litera* Xin, *quæ etiam ſignificat defunctum.*

Hic

Hic Textus 37. unicus eſt, in quo agitur de tabellis defunctorum inter alios textus propoſitos , & hîc clarum apparet , cui ex duabus opinionibus inſerviat .

§. 66. *Modò directè reſpondentes ad Adnotatum 37. dicimus* , ait P. Philippucius , *ceremonias vocandi animas defunctorum,juxtà textus adductos,non eſſe ſerias diligentias , aut curas , ut eæ veniant , ſed meræ deſideria , & affectus vivorum erga ſuos defunctos, neque verè intenditur earum reunio , neque ut veniant ad fruendum oblationibus , &c.* Quæ omnia majorem etiam lucem accipient ex iis quæ paulò inferiùs afferuntur ex eodem P. Philippucio alios Textus Sinicos ab Advarſariis oppoſitos explicante. Vide infrà in Dubio 6.

§. 67. Tertiò . Adducit P. Fr. Varo aliam quamdam Authoritatem ex Dictionario Sinico *Chu luy* (dici debuit , *Cu Guey*) in expoſitione literæ *Chù* ; *ubi dicitur* , inquit, *Tabellas* Xin chù *erigi in Aulis Proge-*

nitorum Chy ling che , *ut animæ, ſive ſpiritus quieſcant, ſive reſideant: Nam litera* Chy , inquit, *ex eodem Dictionario ſignificat requieſcere , & litera* ling *ſignificat animam rationalem*. Ubi & refellit P. Brancatum aliter ſentientem, explicantemque.

§. 68. Sed & huic loco Patris Fr. Varo reſpondendum eſſe cenſent PP. Societatis ipſummet locum P. Brancati, ut ex utriuſque collatione judicari poſſit: pro quo ſtet veritas. Itaque ſic habet P. Brancatus parte 2. pag.78. ubi reſpondet ad P.Fr.Navarrettam; qui locum illum Patris Vari jam adduxerat : *Nihilominus tamen* inquit hic R. P. (Fr. Navarreta) *contra tabellulam* Chù *adducit authoritatem Sinici Dictionarii*, Cu Guey , *qua bene intellecta non ſolum ex illa non probatur error, quòd ſcilicet animæ ſeparatæ reſideant in tabellulis , ſed enervatur, & deſtrutaur talis error , Et ut magis id eluceſcat , Sinici Dictionarii verba referamus , quæ ſunt* : Xin Chu, cum Miao lie chi , y ci lim che .

§.69.

§. 69. Atque ubi dixit P.Brancatus priorum vocum ſenſum hunc eſſe: Tabella *Xin Chu* dicta erigitur in aulis prędeceſſorum, avorum: ſeu defunctorum: ſubdit ultimas literas *y ci lim che* (ſive ut P. Fr. Varo ſcribit *chi ling che*) magnum facere negotium aliquibus, qui illas hoc modo interpretantur: *Ut in ea ſcilicet Tabula requieſcat anima*, vel ſic, *ut in eam ſedem anima ponat*. *Sed revera*, inquit, *talis explicatio provenit à mala intellectione Sinicarum litterarum*, (ci, & lim) *quæ detorquentur in alienum ſenſum ſententiæ Dictionarii*. Poſt varias autem explicationes harum literarum ex dictionariis Sinicis petitas, ex quibus oſtendit literam *ci* non ſignificare ſolùm requieſcere, ſed aliquando etiam *reponere* tùm literam *lim*, præter animam rationalem, ſignificare etiam quæcumque humana præſertim lugubria, concludit idem P. Brancatus pag. 88. verum ſenſum textus allati hunc eſſe: *Tabella* Xin chu *in Aulis defunctorum erigitur*,

tur. ut in illa reponatur illud, quod dicitur lim, *hoc eſt, nomen quod imponitur defuncto, & bituminatis literis ſcribitur in illa Tabula, diciturque* xi, *quod ipſum eſt* lim, *inquit, ſicut, ipſummet Dictionarium teſtatur.*

§. 70. Idem verò P. Brancatu eundem Textum aliter etiam explicat apud P. Intorcettam.pag. 230. ubi ſcilicet, poſtquam adnotavit literam *Chù* multas habere ſignificationes, & inter alias ſignificare *memoriam*, itèmque *ſubſtitutum*; adeò ut cum in Tabella defunctorum proponuntur binæ literæ *Xin Chu*, etiamſi vox illa *xin* pro ſpiritu accipiatur, ſignificet tamen inſcriptio, quòd ibi manet memoria ſpiritus, vel hominis defuncti; aut quòd hæc tabella ſubſtituitur loco ſpirtus defuncti; Subdit *verùm in dicto Dictionario*, Cu guey, *ſunt aliqua verba æquivoca, quæ aliquibus Europæis videntur ſignificare, vel innuere, quòd ſpiritus, vel anima defuncti quieſcat*: *verba ſunt* xin

chu

chu cum Maio lie chi y ci lim che: (*qui eſt ipſemet locus adductus à P. Fr. Varo poſt P. Fr. Navarretam*) *Ideſt*, Tabella xin chu dicta in Majorum aula erecta fuit ad repræſentandum defunctum. *Ci litera, videre & contemplari, & repræſentare ſignificat: adeoque poteſt ita exponi:* Tabella erecta fuit ut in illa tanquam in ſubſtituto contemplarentur, & quaſi præſentem viderent poſteri defunctum: Lim *enim litera, ut infra dicetur, cùm de defunctis agitur, ipſum defunctum ſignificat, aut ſaltem defuncti ſubſtitutum, vel imaginem, ut dicitur in libro* LiKi tan cũm hia *part. 2. fol.* 21. *Confucius dicebat ſubſtitutum illud defuncti, vel imago confecta ex verbis* lim *dicta, probè apparet, vel excitat ad pietatem, & commiſerationem:* Cùm cû guei guei, cùm lim che xem. Hactenus P.Intorcetta.

§. 71. Quartò. Adducit P. Fr. Varo poſt P. Fr. Navarretam teſtimonium P. Antonii de Govea in ſua Hiſtoria, ſive Monarchia Sinica,

Sinica, quæ fuit approbata, inquit, à Patribus Acunna Viſitatore, Amaya Provinciali Japoniæ, & Vice Provinciali Chinæ, & Canavari antiquiore inter Mioſſionarios Societatis, ubi dicit eſſe opinionem Sinenſium, quòd animæ ſtatim poſt mortem evolant diſperſæ, &c. Sic enim loquitur ille cap. 26. apud Navarretam tom. 2. pag. 163. & Varum pag. 102. *Vanno diſperſe per li monti, & alboreti* : Tum ſubdit : *non parlo adeſſo di quello, che fanno nelle ſette dell' idoli, mà delli Cineſi ne i loro principii, e ſetta de i letterati.*

§. 72. Reſpondent PP. Societatis ſe non vidiſſe hiſtoriam illam P. Antonii de Govea, ſed habere ſe præ manibus teſtimonium ejus ſubſcriptione firmatum, in quo ſuam ipſe mentem declarat circa ſimilem quamdam, ſeu potiùs eamdem objectionem à P. Fr. Antonio de Sancta Maria primùm productam, tùm à P. Fr. Navarreta repetitam apud P. Intorcetta in pag. 204. in Tra-

ſtatu impreſſo de cultu Sinenſium, cujus originale extat in Archivio Romano Societatis, ubi ſic loquitur ipſe P. Antonius de Govea: *Neſcio quare vim faciant Patres aliqui in meo manuſcripto cum non ſit typis m andatum? quæ ſcripſi circa Confucium, aut priſcos Sinas, cùm interrogabam an athei eſſent, vel ad atheiſmum accederent, præter quam quòd ibi problematicè diſcurrebam; tamen ſi ex meo diſcurſu colligi videatur, alicubi me inclinaſſe in ſententiam illam, quæ vult priſcos Sinenſes fuiſſe atheos, hoc non ſcriptum, indictumque volo. Quòd autem ſpectat ad ritus erga defunctos, ſemper ego fui in ſententiâ communi Patrum noſtrorum, tum quoad praxim, tum quoad ſpeculativam. Audivi aliquando à Sinenſi neſcio quo, Sinenſes putare animas defunctorum adeſſe, cum ritus fiunt, ab iiſque petere, aut ſperare quidpiam, &c. Et hoc ipſum in meo manuſcripto notavi; ſed cùm grano ſalis intelligendum, non quia puto, id ex libris conſtare, aut Si-*

Sinenſes omnes id agere, & putare, ſed aliquos duntaxat ex ſectariis, aut ex rudi plebe à ſectariis deceptos: ob quæ ne anſa alicui præbeatur inpoſterum aliter interpretandi mentem meam, indicavi verba illa, ex meo manuſcripto, eſſe omninò, ità explicanda, & intelligenda.

Ego Antonius de Govea.

§. 73. In eandem ferè ſententiam locutus eſt Pater Brancatus apud eumdem Intor cettam pag. 236. *Non nego*, inquit, *aliquos reperiri ex Sinenſibus, qui erroneè putent animas per campos diſcurrere, vel in tabellis morari, vel comedere hauriendo dapum ſubtiliores ſpiritus, aliaque ſibi fingant ſimilia; ſed non eſt hoc dicendum de majori parte Sinenſium, ſed dumtaxat de aliquibus aſſerendum. In Regno enim vaſtiſſimo gentilium, ubi tot aliis tantiſque erroribus, & ſuperſtitionibus (poſt invectas præcipuè Idolorum Sectas) imbuti ſunt homines, quid mirum, ſi hoc etiam errore inficiantur aliqui?*

§. 74 Conſtat porrò aliunde & Pa-

Patrem de Acunna, & Patrem Canevarium fuiſſe omninò in eadem cum cæteris Jeſuitis ſententia. Nam quoad P. de Acunna, id conſtat ex teſtimonio ipſius Patris Fr. Navarretæ apud Patrem Intorcettam pag. 288. & quoad Patrem Canevarium, conſtat ex ejus ſubſcriptione in Actis Cantonienſibus anno 1668. appoſita, unà cum ſubſcriptionibus aliorum, qui Cætui interfuere. Adeoque etiam de Patre Amaya, qui jam obierat, idem omninò credere par eſt.

§. 75. Neque minùs conſtat pro Jeſuitis ſtetiſſe ipſos etiam Patres Dominicanos, tum in admiſſione tabellæ, de qua agitur, tum in aliis ritibus; ut fidem faciunt propria illorum ſcripta, quæ publica ſunt, & ut videri poteſt apud Patrem Philippuccium in Præludio pag. 130. & ſequentibus.

DU-

DUBIUM IV.

An ſecundùm conceptum Sinenſium Spiritus Confucii, & Progenitorum veniant ad tabellas pro recipiendis oblationibus, illiſque peractis recedant?

§. 76. **A**St, quæ præcedenti dubio adducta ſunt, videbantur ſufficere ad hujus puncti deciſionem, voluere tamen Adverſarii ad idem redire ſub aliis terminis, ut nova quadam via intentum obtinerent, quaſi argumentis à ſe adductis diffiderent. Verùm quia multa hîc congeſſere partim levia, partim jam adducta, ac refutata; viſum eſt ea, quæ ſequuntur à reliquis, ut inſtar omnium eſſe poſſent.

§. 77. Primò. Proferunt orationes Confucio directas, ad invitandum ejus ſpiritum, ut veniat ad recipiendas oblationes: *In quarum prima*, in-

inquiunt, *dum invitatur, concluditur : veniat ergo ſpiritus tuus, & accedat ad hæc omnia cum tua præclara, ac ſancta præſentia*. In alia habetur : *Hæ oblationes, & pannus iſte ſericus totum paratum eſt ad cæremoniandum ante tuam præſentiam*, ita inquiunt, ex Ritualibus, & aliis libris Sinicis, Navarrete tom. 2. tract. 6. n. 23. & 24. & in relatione octo Miſſionariorum Ordinis S. Dominici ad Sacram Congregationem n. 7. & 8. quæ relatio extat impreſſa in Appendice ad Apologiam Dominicanorum à fol. 29. in cujus margine dicitur: *Nunc primum* (ſcilicet anno 1699.) *in lucem edita*. Adduntur-que aliæ orationes adductæ à Parre Fr. Navarrete, quas dicunt non negari à Jeſuitis, &c.

§. 78. Reſpondent Patres Societatis orationes illas, uti ab Adverſariis productæ ſunt, eſſe omnino à veritate alienas : uti videre eſt apud Patrem Brancatum, qui integras refert Conſtitutiones Imperiales, quibus continetur totus ritus Confu-

cianus, quin mentio ulla fiat de ejuſmodi orationibus. Hujus etiam fictionis non leve argumentum eſſe videtur diverſitas, quæ apparet inter orationem in dicta relatione n. 13. recitatam, & eam, quæ extat apud Patrem Fr. Navarretam cit. tract. 6. n. 16.

§. 79. Quin etiam negatur ullam prorſus ineſſe authoritatem relationi illi nunc primùm in lucem editæ in Apologia Dominicanorum, uti demonſtratur in Tractatu nuper impreſſo, cui titulus eſt: *Monumenta Sinica, &c.* In quod in primis manifeſtum fit ex altiſſimo ſilentio, quod de tota illa relatione extat apud Navarretam, quì cùm diſtinctè enumeret ſuorum ſcripta è Sinis Romam tranſmiſſa, ſuum ſingulis annum aſſignando, nullam prorſus mentionem facit de ejuſmodi ſcripto: quod ſanè ignotum ipſi eſſe non poterat, quando ipſe ſupponitur ſuum illi nomen adſcripſiſſe.

§. 80. Aliunde etiam falſitatem ejuſdem relationis prodit ſubſcriptio ipſa

ipſa trium ex illis octo Dominicanis, quorum nomina miſſa eſſe dicitur ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide die 30. Maii 1661. Tres iſti ſunt Pater Fr. Timotheus de Sancto Antonino, Pater Fr. Dominicus Coronado, & Pater Fr. Dominicus Sarpetrus, ut nihil hic interim de aliis dicatur. Nam conſtat iſtos tres nominatim adhæſiſſe ſententiæ Jeſuitarum, quemadmodum Pater Intorcetta ipſimet Patri Fr. Navarretæ, (qui unus ſupponitur fuiſſe ex ſubſcribentibus) affirmat in reſponſione ad ipſum data Cantone anno 1668.

§. 81. Sic enim ipſummet Navarretam alloquitur Pater Intorcetta in tractatu impreſſo, pag. 224. *Majorem vim habere videntur contra ſententiam Paternitatis Veſtræ tria (ut de aliis non loquar) teſtimonia, ſcilicet ejuſdem cum Paternitate Veſtra Sacri Ordinis tres Patres, qui cum Sinis converſati ſunt aliquot annis, & noſtræ ſententiæ adhæſerunt. Primus (de quo etiam ſupra)*

 Rev.

Rev. Pater Fr. Timotheus à Sancto Antonino, qui fuit Vicarius in Reſidentia LanKinenſi : Secundus Rev. Pater Fr. Dominicus Coronado ; quem Sacer Ordo , niſi mors præoccupaſſet, in Vicarium Provincialem Sinenſem ſibi delegarat : Tertius Rev. Pater Fr. Dominicus Sarpetrus, qui quantùm in literis, libriſque Sinenſibus profecerit, quotquot hic in Quantonienſi exilio moramur, teſtari poſſumus : Gloriari quoque poſſemus teſtimonio P. V. *ſi uti antea, ita etiam poſtquam legit Tractatum Patris Longobardi, in eâdem cum Patre Sarpetro ſententiâ perſtitiſſet, & ingenium ſuum, ac calamum adhibuiſſet, quemadmodum Pater Sarpetrus cæpit facere, cùm Tractatum illum legendo intellexit in falſis principiis fundari, diminutaſque ſententias afferre, & in alium à genuino literatorum ſenſu ferè omnia verti, atque explicari) in refutando potiùs quàm in defendendo, confirmandoque principia ejuſmodi, in quibus tractatus ille fundabatur.*

§.82.

§. 82. Idem Pater Intorcetta pag. 183. refert qùomodo dictus Pater Fr. Timotheus à Sancto Antonino LanKinenſis Reſidentiæ Vicarius ſcripſerit tùm ad Patrem Brancatum, tùm ad Patrem Antonium de Govea. Ac refert etiam Pater Brancatus part. 2. pag. 182. epiſtolam illam; quam dicit ſibi à prædicto Patre Fr. Timotheo de Sancto Antonino ſcriptam fuiſſe circa annum 1660. ideſt, circa illud tempus, quo ſcripta ſupponitur fictitia illa relatio Dominicanorum, de qua hic agitur. Tum ſubjungit aliam epiſtolam ad ſe pariter miſſam in eumdem ſenſum à Patre Fr. Dominico Coronado; ubi inter cætera ſic habetur: *Holgaria de verme con V. P. para conferir algunas coſas controverſas, porque para mi mas vale el parecer de V. P. que todas las razones, que ſe allegan en contrario. Nihil mihi poteſt gratius accidere, quàm ſi Paternitatem Veſtram videro, atque egero cum eâ de rebus aliquot controverſis. Nam mihi quidem videtur an-*

anteponendam eſſe veſtram ſententiam iis omnibus, quæ in contrarium afferuntur. Atque ait ibidem Pater Brancatus, eumdem P. Fr. Coronado ex eadem Civitate ſimilem miſiſſe epiſtolam Patri Franciſco Rougemont Miſſionario Societatis; quæ ipſa inquit, uſque in hodiernum diem conſervatur.

§. 83. Sed & ibidem videre juvat, quæ idem Pater Brancatus narrat de quodam Chriſtiano *Chō Lino* dicto, qui Patri Fr. Dominico da Navarrete non erat ignotus: Ex quo magis ac magis ruit authoritas relationis nunc recens editæ. *Hic anno*, inquit, 1667. (qui annus eſt ſuppoſititię relationis adſcriptus) *menſe Julio in Metropolim Civitatem Provinciæ* Chè *Kiam*, Hâm Cheū fù *dictam venit*; *in quam etiam Civitatem per id tempus ad aliqua peragenda negotia me contuleram*: *hic, inquam, Linus coram multis, inter quos aderant etiam aliqui Gentiles, mihi gratulatus eſt unionem RR. PP. cum noſtra Societate*; *& quia ſæpius*

ea-

eadem repetebat coram omnibus, nullo habito Chriſtianorum, vel Gentilium diſcrimine, rogavi illum ut ab his ſermonibus abſtineret, ſed mihi reſpondit: Sinat V. R. ut unio hæc omnibus innoteſcat, ut intelligant omnes profeſſionem Chriſtianæ Religionis non impedire politicos defunctorum ritus, qua cauſa, homines ab ea profitenda abſterreri uſque modò experti ſumus. Ita ſcribebat P. Brancatus anno 1668. & 1669. in China ad Patrem Fr. Navarretam, uti fidem facit originale authenticum, quod aſſervatur in Archivio Romano Societatis.

§. 84. Ita videlicet voluit Divina Providentia, ut proderet ſe vanitas relationis propriis octo Miſſionariorum Ordinis Sancti Dominici nominibus inſcriptæ, quam Adverſarii hoc loco proferre cæperunt in ſententiæ ſuæ ſubſidium; & quæ ſuam etiam ſuppoſitionem ſatis oſtendere videtur ipſa diverſitate expoſitionum, quæ reperitur inter ipſam, & librum Patris Fr. Navarretæ ſuper

iiſdem Textibus utrobique productis ; tametſi Pater Fr. Navarrete ſupponatur unus fuiſſe ex illis, quorum nomina ad calcem relationis inveniuntur adſcripta, uti jam ſupra indicatum eſt. Præter quam quòd ſimilis quædam diverſitas inferiùs adnotari poterit inter illam, & ſcriptum P. Fr. Vari, qui quartus inter ſubſcriptos ibidem reperitur.

§. 85. Secundò. Afferunt ex Patre Fr. Varo Textum ex *LiKi*, tom. 2. cap. *ly yun* fol. 4. *ubi tractando de primis Regibus, qui dederunt principium oblationibus progenitorum, dicitur quòd præparabant inſtrumenta Muſica, & reliqua pertinentia ad oblationes, ad hoc ut Spiritus Superiores, & ſui Progenitores ad ipſas deſcenderent*: *Vbi & ajunt Gloſſam interlinearem dicere quòd faciendo iſtas oblationes, ut ibi dicitur, Spiritus deſcendunt, & approximant, & animæ illis fruuntur : quando ergo non recipientur bona, & auxilia de Cælo ? Et Commentarium magnum hìc dicit : ſtatim Spiritus*

Su-

Superiores approximant, & Progenitores gaudent, & concedant bona, & felicitates, &c.

§. 86. Ad hoc jam ſupra reſponſum eſt in Paragrapho ſcilicet 54. ex Patre Philippuccio, in reſponſione ad Textum 29. Additurque nunc quod habet ille in reſponſione ad Textum 35. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut priùs hic fiat advertentia de minima authoritate, quam habet capitulum* Ly yun *libri* LiKi, *ex quo deſumptus eſt hic Textus* 35. *Ipſius Commentator, ſæpè hìc citatus, in principio dicti capituli, dicit ſe dubitare, an hoc capitulum emanaverit ex diſcipulis cujuſdam diſcipuli Confucii; appellati* Cù yeù; *& ibi notat aliquos modos loquendi, qui non ſunt Confucii. Poſtea in commento* 3. §. *hujuſmet capituli, loquendo de quadam certa doctrina illic relata, dicit illam quoad maximam partem emanaſſe ex* Laò tan *(quem Sinæ volunt conſtituere Authorem* Taoſus *Secta idololatricæ) & ex* Chuam cu *magno coriphæo* Taoſus : *& affir-*

firmat non eſſe doctrinam antiquorum Sapientum .

§. 87. *Hoc ipſum eſt nos docere* pergit idem Pater Philippuccius , *ut caveamus multùm ab uſu Textuum Sinicorum , etiam librorum claſſicorum , qui per tot ſæcula fuerunt in manu ſubtiliſſimorum Atheorum ; & ſpeciatim libri ab ipſis perverſi , ſunt* ye Kim , *&* LiKi . *Ac poteſt ſcribi longiſſimus catalogus errorum , & perverſionum , quas continent ex confeſſione eorumdem Commentatorum . Quod in ipſis invenimus bonæ doctrinæ , per ſe ipſam ſe præbet æſtimandam , præſcindendo ab omni authoritate humana . Quod in ipſis invenitur malæ doctrinæ , videtur non tam facilè attribuendum eſſe antiquis Sinis, qui nondum perverſi erant cum erroribus , qui poſtea invecti ſunt .*

§. 88. *Facta hac præmiſſa* , ſubdit Pater Philippuccius , *cùm doctrina* Chào hoèn *deſumpta ſit ex hoc capitulo , adeo cenſurato à Commentatore Sinico , & hic ritus* Chào hoèn

hoèn *modò ſit valdè practicatus à* Taoſus, *poteſt multùm dubitari non eſſe inſtitutionem antiquam. At ſuppoſito, quòd hic ſit ritus antiquus, datur magnum fundamentum ad dubitandum, an totus conſiſteret in exprimendo dolore de morte defuncti, & affectu, & deſiderio eum videndi vivum, & non ultra, ut hoc conſtet, ponentur hic aliqui Textus Sinici, qui de hoc agunt.*

§. 89. *In ſecundo tomo* LiKi *diviſo in* 10. *tom. capitulo* Tān cūm, *pag. prima in* §. *qui incipit* Sām ly, *ejus Commentum ita dicit*: . .

. . . .
. . . . Hoc eſt
. . . .
. . . .

Dolor filii obſequioſi naſcitur è ſummo affectu naturali, infuſo à Cælo, quomodo poteſt reprimi? Sapientes inſtituerunt hos ritus ad temperandum ipſius dolorem, & ad eum paulatim mutandum, minuendum, & finiendum.

§. 90. *In* §. *immediate ſequenti* *Com-*

Commentator ita dicit . . . .
. . . .
. . . . Hoc eſt:
Fiunt variæ rogationes , & oblationes (& defunctus) non poteſt redire ad vitam , & tamen iterum fiunt . Hoc ipſum eſt finire cum lege amoris erga Parentes defunctos ; & cor , quod petit , & rogat , non obliviſcitur horæ , in qua deſiderat , ut redeat .

§. 91. *In eodem capitulo pag.* §. 1. *Textus ita dicit* . . . .
. . . . Hoc eſt
mortuo defuncto , ejus conſanguinei vivi inclinant corpus , ac ſi perdidiſſent omne bonum . Deferentes defunctum ad ſepulturam , oſtendunt magnum metum , & lubitum timorem , ac ſi quærerent defunctum & non invenirent . Poſt ſepultum defunctum . oſtendunt magnum ſtuporem , ac ſi ſperarent adventum defuncti , & ipſe non adveniret .

§. 92. *In hoc eodem capitulo* §. 2. *Textus ita dicit* . . . .
. . . .
. . . . Hoc eſt:
Mor-

Mortuo defuncto, ejus conſanguinei vivi inclinant corpus, ac ſi perdidiſſent omne bonum. Deferentes defunctum ad ſepulturam, oſtendunt magnum metum, & ſubitum timorem, ac ſi quærerent defunctum, & non invenirent. Poſt ſepultum defunctum, oſtendunt magnum ſtuporem, ac ſi ſperarent adventum defuncti, & ipſe non adveniret.

§. 92. *In hoc eodem capitulo* §. 2. *Textus ita dicit* . . . .
. . . .
. . . . Hoc eſt: Yen tim, (nomen cujuſdam hominis) *optimè ſe gerebat in funeribus. Moriente aliquo ejus conſanguineo, ille totus manebat obſtupefactus, ac ſi quæreret defunctum, & non inveniret, Cùm verò iret ad eum ſepeliendum ibat ſtupefactus, neminem obſervans, ac ſi iret ad inveniendum defunctum, & non inveniret. Poſt eum ſepultum dabat magna ſuſpiria, tanquam qui non obtinuerat regreſſum defuncti; & ſic ſuſpirabat.* Addit Commentator.

Hoc

. . . .
. . . .
. . . . Hoc eſt. *Suſpirat, ac ſi adhuc ſperaret: ipſius cor non fert apud ſe ſtatuere oblivionem ſuorum Parentum defunctorum. Nunc etiam ambulat, nunc ſiſtit ad expectandum regreſſum ſuorum Parentum. Certè qui ſepeliuntur, eunt, & non redeunt; attamen filius obſequioſus in eo quod eat ſepulturus ſuos Parentes, perfectum ſe præbet; & in reditu ſe præbet, ac ſi adhuc dubitaret, an defunctus rediturus ſit ad vitam.* Hactenus Commentator.

§. 93. *Res foret* inquit P. Philippuccius ibidem, *abſque termino referre alios textûs ſimiles. Ex ſupra allegatis inferri poteſt, quid conabantur Sinæ antiqui in hoc ritu* Chào hoên *(ſi eo uſi ſunt): & nihil aliud erat, quàm relaxatio doloris ex morte Parentum, quos adeo amabant. Sciebant eos non poſſe ad vitam redire, & tamen in hos affectus abibant. Inter Chriſtianos ſæpius eveniunt æquivalentes demonſtra-*

ſtrationes ; & nemo eas abominatur, imò potius eorum miſerentur . Etſi videamus in China mores diverſos ab Europæis in demonſtratione horum affectuum , non propterea continuò debemus damnare omnia iſta , tanquam ſuperſtitioſa . Rectè ſcimus , & experimur Sinas in omni genere Cæremoniarum eſſe nobis Europæis prolixos , & importunos : & tamen ad eorum uſum attemperamur; quantò magis id nobis faciendum eſt in eo , quod ipſi tanti æſtimant , quando in eo non apparet peccatum ?

§. 94. Hactenus P. Philippuccius , ex quo conſtat quanta cum cautela accipiendus ſit locus ille à Varo adductus ex LiKi cap. *Ly yun* , & quàm ſano modo juxta germanam Sinarum doctrinam ſit intelligendus ille ſpirituum deſcenſus, & invocatio . De conceſſione verò felicitatum ibidem memorata, dicetur paulò inferiùs in loco proprio .

§. 95. Tertiò proferunt Adverſarii varios Textus ex libro *Xi King*, tibi pluries repetitur , *quòd ſpiritus &*

& animæ progenitorum deſcendunt, & approximant ut fruantur oblatis. Et qui legerit; inquiunt, *duos Tractatus citatos ejuſdem libri, quorum unus vocatur* Siao ye, *& alter* cheu Sung, *nauſeam habebit, quòd toties repetatur propoſitio de adventu ſpirituum ad oblationes*.

§. 96. Reſpondent PP. Societatis ex P. Philippucio in Reſponſ. ad Textum 28., qui habetur in explicatione 37. Textuum ſupra citata *malè poſſe inferri ex quodam pöemate adulatorio* (cujuſmodi extat in citato libro Xi King confectò in honorem Imperatoris Chim tam defuncti) *quid in rei veritate credunt Sinæ de animabus ſuorum defunctorum. At ſupponamus* inquit, *hoc poema tanquam unum, ex articulis fidei Sinarum; Si adhæreamus Commentatori cognominis* Hoâm, *de quo dictum eſt in Reſponſione ad Textum tertium; deprehendemus nihil eſſe in favorem adnotati ex vi hujus textus*.

§. 97. *In primis Commentator ſuper*

per duabus literis Liē Cù , *quibus hîc nominatur* Chim tam *ita dicit* .

. . . .

Videlicet : *hæ duæ literæ* Liē Cù *ſunt ſummi ponderis in ſua ſignificatione*; *& neceſſe eſt ut exprimant quandam inſignem virtutem* : *tunc* (*Chim tàm*) *habebit peculium* , *ſeu vires* , *quibus poſſit adjuvare* . *Deinde Commentator dicit animam* Chim tàm *eſſe in Cælo per hæc verba* , *quæ ſequuntur* . . . .

§. 98. Item quod dicit Textus, *ſcilicet* Chiam tàm *defunctum deſcendere ad fruendum oblatione, ſic explicat Commentator* . . . . Videlicet : *Iſte ultimus articulus hujus operis continet quoddam deſiderium* , *ut Imperator defunctus fruatur his oblationibus* , *quæ ipſi offeruntur*.

§. 99. *Cum hac ſuppoſitione* , *quòd* Chim *ſit magnus Sanctus* , *qui ſit in Celo* , *& cum explicatione*

deſiderii, quod fruatur oblationibus, ſatis apparet, quàm parum faveat adnotato. Neque poteſt ex vi huius confici univerſalis propoſitio, quòd Sinæ credant defunctos venire fruituros oblationibus.

§. 100. *Quòd attinet ad phraſim textus* Kiām fō vù Kiam, ideſt, *concedere felicitates abſque termino, vel accipitur pro cæremonia, & pro verbis nihil ſignificantibus, ut viſum eſt in Reſponſione ad textum* 3. *vel seriò accipitur, & nititur ſuppoſita ſanctitate* Chim tam, *omnia intelligendo ſano modo. Alii Textus* Xi Kim, *qui habent eamdem phraſim, ſi propoſiti fuerint, habebunt ſuam reſponſionem*. Ità P. Philippucius parum, ut apparet, reformidans in China Textus illos *Xi Xim*, quos dicunt Adverſarii Romæ exiſtentes ſibi nauſeam creare.

§. 101. Quartò. Proferunt Adverſarii ex Rituali Kiali *varias cæremonias, quæ faciendæ ſunt circa conſtitutionem Tabellæ* Xinchu, *ac inter alia, recitatur oratio, quæ*

anima

anima invitatur &c.

§. 102. Reſpondent PP. Societatis ex P. Philippucio in Reſponſ. ad 7. Textum in citata explicatione 35. Textuum, contentum : *In hac obſervatione*, inquit, *Commendatur authoritas libri* Kià li *plus quàm conveniat*. Vèn cùm *author hujus libri vixit tempore* Sùm Chaõ, *quod incepit anno Domini* 923. *& cùm ille ſcripſerit prædictum librum anno* 6. *Imperatoris* kiaõ cùm, *qui fuit* 11. *dicti Imperii, juxtà computationem annorum, ſequitur hunc authorem vixiſſe anno Domini* 1100. *circiter; quamobrem non eſt author antiquus, & claſſicus.*

§. 103. *Quoad approbationem (ſi datur) Imperatoris* Chim cù ven, *qui fuit filius Imperatoris* hûm vù *fundatoris* mîm Châo; *cum dictus* Chîm cù vèn *inceperit regnare anno Domini* 1403. *clarè conſtat approbationem hanc eſſe noviſſimam, deſtitutamque authoritate antiqua.*

§. 104. *Deindè, quamvis approbatio ſit regia, nihil authorita-*

tis conciliat; conſtat enim ex proæmio Kiali *quatuor tomorum, compoſito ab uno literato cognomento* Kieũ, & *nomine* Siun, *oriundo ex* kiun xan *villa de* Hay nâm, *conſtat, inquam, dubium eſſe de authore* kiãli, *& hunc librum eſſe mutilatum, variatum, & auctum cum multis incohærentiis, & defectibus. Ut videtur, quoties imprimitur hic liber, mutatur, & variatur ad placitum imprimentis. Quod citatur in obſervationibus, diverſum, eſt à duobus, vel tribus, quos hic habemus, etiam inter ſe diverſos. Quomodo cum tantis defectibus, & notis poteſt habere authoritatem?*

§. 105. Li chô vẽn, *ſeu orationes ad defunctos in hoc libro contentæ, ſunt inventiones authorum recentiorum, ut conſtat ex quarto tomo* Kiàlì. *Ergò dici non poteſt, probari ex vi* Kiàlì, *orationes ad defunctos eſſe ex antiqua inſtitutione: tales orationes non reperiuntur in atiquis textibus citati* Kiàlì.

§. 106.

§. 106. *Et ſi ſufficiant hæc ad enervandam authoritatem ſupradictorum 4. 5. 6. 7. Nihilominus, caſu, quo admittantur, dici debet, omnes eſſe meras cæremonias nihil ſignificantes, ut in ſimili materia videri poteſt in reſponſionibus ad textus 20. 28. 35. & in aliis; ſicuti in orationibus funebribus, quæ fiunt in noſtra Europa, multa dicuntur, quæ ſumpta in toto rigore, ſunt apertè falſa, & nihilominus permittuntur, tanquam declamationes in ſtylo rhetorico, & ex cæremonia.*

§. 107. Quintò. In fine dubii 4. Afferunt Adverſarii fundamentum quoddam, quod univerſim valere volunt pro omnibus iſtis materiis; qualis nimirum ſit in præſenti, communis omnium, aut ferè omnium Sinenſium conceptus circa punctum controverſum, ut circa realem adventum ſpirituum. Ac prætendunt illum eſſe reipſa talem; quia in tanta multitudine hominum ad centum quinquaginta milliones aſcendentem, vix erunt

duo, vel tria millia literatorum, qui ſint immunes à ſuperſtitioſis, & idololatricis opinionibus; & hi inter tantos, quaſi pro nihilo habentur. Unde remanet, *inquiunt*, quòd ferè omnium Sinenſium conceptus, ſaltem practicè eſt conformis erroneæ opinioni de reali ſpirituum adventu, ac de aliis erroribus.

§. 108. Reſpondent PP. Societatis falſum eſſe quòd talis reipſa ſit omnium, aut ferè omnium Sinenſium conceptus circa punctum controverſum; uti videri poterit apud Authores ſuos, Miſſionarios Sinenſes, rerum hujuſmodi peritiſſimos, ac teſtes oculatos, quorum omnium inſtar eſſe poſſet P. Intorcetta, qui ita loquitur pag. 231. *Sed primò quidem notandum eſt, in Sinis, nonniſi paucos ex vulgo, aut à ſectariis deceptos, aut valdè imperitos, eſſe qui putent ſpiritum defuncti in Tabella reſidere*. Ità quoque teſtatur P. Brancatus, P. le Faure, & alii: ac nominatim P. Antonius de Govea in ſua illa Declaratione

tione manus propriæ teſtimonio firmata, quæ ſuperiùs relata eſt adverſus iteratam Averſariorum iſtantiam.

§. 109. Sed & jamdiu idem conteſtatus fuerat P. Furtado in ſua Reſponſione ad 12. quæſtiones P. Fr. Joannis Baptiſtæ de Morales, quæ in China compoſita fuit anno 1640. quemadmodum ibidem legi poteſt §. 55. & ſequentibus: *Reſpondetur,* inquit, *non credunt Sinæ Gentiles, ac multò minùs Chriſtiani, animas ſuorum defunctorum, venire tanquam vermiculos ad inhærendum poris ligni, aut tanquam aviculas ad inſiſtendum ejuſmodi tabellis. Ad cujus rei intelligentiam advertendum eſt de tribus legibus, ſeu ſectis in China vigentibus ſermonem eſſe poſſe &c.*

§. 110. Hanc ſuppoſitionem P. Philippuccius in Præludio pag. 30. numerat inter falſas ſuppoſitiones Patris Fr. Joannis Baptiſtæ de Morales; *In eodem quæſito (ſcilicet XV.) falsò ſupponitur,* inquit, *Sinenſes exi-*

 ſtere

ſtere in dictis Tabellis ad recipienda falsò ſuppoſita Sacrificia, & oblationes. Hæc ſuppoſitio ex antiqua Sinarum doctrina probari non poteſt, &c. Et paulò inferiùs. *Dato autem, quòd aliqui Sinenſes, animæ defuncti in Tabella præſentiam affirmarint*, pleriſque aliis eam apertè negantibus, *cur quæsò auctor quæſitorum mavult adhærere defendentibus mendacium, quàm illud negantibus, &* errorem paucorum, Doctrinam omnibus Sinenſibus imputare? *præſertim cùm error paucorum non poſſit inficere totius Regni communem ritum, & opinionem* totius multitudinis *ſequentis veritatem in hoc, de quo agimus puncto.*

§. 111. Facit, & alibi idem P. Philippuccius, ſcilicet in *ſagitta retorta*, quæſito 69. hujuſmodi quæſtionem: *Utrum ab humano intellectu concipi poſſit conjunctim ſumpta hæc ſequens aſſertio*: Sinenſes de facto credunt animas defunctorum in Tabellis ad illorum memoriam perpetuandam erectis reſidere: & hoc idem

idem ex ſuarum legum univerſaliter recepta doctrina, cui tenaciter adhærent, credere nequeunt.

§. 112. *Ratio quærendi eſt*, inquit, *quia P. Varo in ſuo Sinico Opuſculo, quæſito* 9. *per totum, & alibi ſæpe, pro indubitato ſupponit Sinenſes credere ſuorum Animas defunctorum in prædictis tabellis commorari: atque in eodem quæſito ſimul, & ſemel trium Cinenſium Sectarum, nempe litteratorum (intellige plerumque modernorum, non antiquorum) Bonziorum Idolum* Foẽ *colentium, & eorum, qui* Taò ſu *appellantur, doctrinam proponit, ex qua rectè infert eoſdem Sinenſes credere non poſſe Animas defunctorum in Tabellis commorari. Textus P. Varo propter ejus prolixitatem hic non refertur, ſed curioſus Lector ad ejus opuſculum evolvendum remittitur.*

§. 113. *Ratio dubitandi eſt*, ſubdit idem P. Philippuccius, *quia cùm Sinenſes prædictis tribus ſectis ſint communiter addictiſſimi, earumque dogmata*

dogmata eſſe veriſſima, arbitrentur, nullo pacto intelligi poſſe videtur, quomodo iidem poſſint illis ſectis contradictorio dogmati ſimul aſſentiri, niſi fortè dicamus, Sinenſes, ad illud celebre effugium diſtinctionis in ſenſu compoſito, & in ſenſu diviſo, *quo ineluctabile contradictionis dilemma infringi, cujuſque partes conciliari curatur, ut ab omnibus tricis ſe expediant, cautè recurrere.*

§. 114. Accedit P. Fr. Dominicus Matia Sarpetri ex Ordine S. Dominici, Miſſionarius & ipſe Sinenſis per annos complures, ac teſtis oculatus, & indagator rerum iſtarum ſtudioſiſſimus; ut liquet ex tam multis ſcriptis, & Tractatibus, quos de hiſce materiis compoſuit. Sic ille habet in ſuo Tractatu nuper impreſſo pag. 59. *Atqui, literatos, inquit, à quibus ritus iſte profectus eſt, & ad quos illius conſervandi cura pertinet, nunquam eum errorem* (de adventu ſcilicet ſpirituum ad fruendum dapibus appoſitis) *in animo*

animo habuiſſe, convincitur evidenter, tùm de Literatis horum temporum, ſiquidem hi profeſſione Atheiſmi gloriantur; tùm de antiquioribus: quia longè abhorret ab his nugis doctrina ab iis tum alibi tradita, tum in libro præcipuè quem appellant LiKi. *Quod qui perſpicere volet, legat modò quid habeatur in iis libris de origine Cæremoniæ, quam vocant* Liumti; *quod verbum eſt ipſo uſu magis tritum, quippe correlatum verbi* Ci: *ut omittam multos alios Textus Libri* LiKi, *quibus probatur ſpiritus non veſci dapibus appoſitis, idque ab eorum natura quàm longiſſimè abeſſe.*

§. 115. His adde, quòd qui ſunt è vulgo Sinenſium, qui prædictis erroribus teneantur, non ita illis inhærere videntur, ut tanquam certas, & indubitatas veritates credant, atque ex illis aptas ſuſpenſaſque habere velent ſuas illas oblationes, & actiones, quas cum ejuſmodi credulitate peragunt: perinde ferè, ac inter nos evenit, cùm quis præſertim

tim

tim è vulgo ob inſtructionis, vel ingenii defectum res noſtras aliter intelligit quàm ratio, ac veritas poſtulet: qui tamen non juxtà hoc velut particulare dictamen agere intendit; ſed juxta communem doctiorum ſenſum, cui ſe in agendo vel ut practicè conformare ſolet. Quam in rem ſit habet P. Jacobus le Faure in opere impreſſo pag. 226. *Adde, quòd nemo interrogatus an velit in his parentalibus ſtare propriis majorum inſtitutis, nec ne, non continuò reſpondeat id ſe fixum in animo habere.* Et *paulò inferiùs*: *Ego certè*, inquit, *multos interrogavi utrum arbitrarentur parentes eò loci deveniſſe, ut filiis poſſent bona elargiri: Simpliciores quidem attoniti, ac perplexi hæſerunt; alii plures reſponderunt ſe hactenus exiſtimaſſe non defuturam ſibi remunerationem operum pietatis erga Parentes, quiſquis tandem ſit ille remunerator &c.*

DU-

DUBIUM V.

An Cæremoniæ erga Confucium, & Progenitores fieri ſoleant viventibus apud Sinas? Ubi & quomodo id intelligendum ſit?

§. 116. Hic Adverſarii imputant Patribus Societatis, quòd dixerint omnes Cæremonias, quæ fiunt erga Confucium, & Progenitores, fieri etiam in China erga viventes: atque ad hoc refellendum adducunt primò longum diſcurſum P. Fr. Navàrretæ tom. 2. pag. 312. num. 8. ubi multa ex iis profert, quæ negat vivis fieri; ut ſunt inter alia, *occidere animalia, & offerre candelas accenſas, facere reverentias animali mortuo, vinum offerre, & effundere, aut bibere in præſentia &c.* Tum etiam affert quoddam argumentum, quo dicit PP. Societatis uti adversùs Sinenſes Infideles, ut eos avertant à cremanda papyracea pecunia in gratiam ſuorum defun-

cto-

ctorum: quod id ſcilicet non faciant erga vivos; quippe hoc eſſet naribus illorum fumum immittere &c. quod etiam argumentum *ait ſe in Jeſuitas convertiſſe.*

§. 117. Reſpondent PP. Societatis negando dictum à ſe fuiſſe, quod hic ipſis imputant Adverſarii in tota illa latitudine, uti videri poterit in ipſa eorum expoſitione pag. 68. editionis impreſſæ, ubi expreſsè dixerunt aliquas cæremonias eſſe excipiendas; tametſi paucas dixerint eſſe ejuſmodi per hæc verba: *paucis exceptis* quò & inter alia attulerunt teſtimonium iſtud Illuſtriſſimi à Leoniſſa in Reſponſ. ad quæſita S. C. P. ſub finem: *Per maggiore intelligenza e chiarezza di quanto ſin hora hò detto, ſoggiongo che i Chineſi communemente in quanto fanno, uſano molte ceremonie*; e con i vivi uſano almeno molte di quelle ceremonie, che ſi fanno nell'offerte, ò in altri tempi à Defonti.

§. 118. Ad id verò, quod ibi prolatum eſt ex Navarretta negante talia

lia fieri vivis in China, dicunt PP. Societatis conſtare oppoſitum ex teſtimoniis fide dignis, quæ extant apud Authores qui illa viderunt, Intorcettam, Brancatum, Philippuccium, le Faure &c. quorum etiam loca in expoſitione relata ſunt, ut mirum ſit illa ab Adverſariis nondum fuiſſe animadverſa.

§. 119. Pro accenſione candelarum, & ſuffituum, quæ viſa eſt aliquibus ſpecialem movere difficultatem, Juvat hîc addere, quod refert P. Jacobus le Faure, tanquam oculatus teſtis, pag. 201. Tractatus impreſſi: nimirum *Incedentibus per plateas cernuntur*, inquit, *frequenter ardere luminaria cum ſuffitibus in menſis velut altaribus, non modo coram hominum vivorum ſtatuis, ſed etiam coram ipſis, ſeu adventantibus, ſeu diſcedentibus Præfectis ſibi cariſſimis, & colendiſſimis expoſita. Nec opus eſt*, ſubdit, *aliò confugere, cum hic* (in Domo ſcilicet Cantonienſi, ubi aderant viginti tres Patres ex omnibus Chinæ

Provinciis congregati, & inter illos Navarreta, qui ſcilicet auſus eſt id negare in Europa, quod in China auſus non fuiſſet) *adſint aliquot è Patribus, quos Viri graves amiciſſimi præ foribus ædium ſuarum, ejuſmodi ſuffitibus accenſis inſtructi præſtolarentur & exciperent: adeo politicæ, ſed ſingularis inter Sinas venerationis iſtà quoque ſunt argumenta.*

§. 120. Ac videri poterit P. Brancatus 2. part. pag. 107. & P. Intorcetta pag. 252. & ſequentibus; pro illo argumento, quod hîc dicit P. F. Navarreta ſe in Jeſuitas in China convertiſſe: & quod illi reipſa invenerunt in ſcripto quod ipſis tradiderat in exilio Cantonienſi, quando ſimul aderant? At in hoc ſcripto ſuo, quod adhuc extat in Romano Archivio Societatis, nullam Navarreta mentionem fecit eorum, quæ vivis fieri negavit in Libro, quem deinde in Hiſpania impreſſit; & ex quo ſcilicet talia huc ab Adverſariis adducta ſunt. Nam ea negare

gare non fuiſſet auſus in China coram hominibus, à quibus facilè potuiſſet redargui falſitatis.

§. 121. En quomodo eumdem Navarretam alloquitur P. Intorcetta cit. pag. 252. *Quoniam nihil hîc ſpeciale adducit Paternitas Veſtra ideo nos aliis multis, ut ait, cæremoniis quas Sinæ faciunt erga Tabellas defunctorum, nullam ſpecialem reſponſionem dare poſſumus, niſi illam S. Congregationis*; quæ redolent tantùm cultum civilem, aut poſſunt ad illum reduci, permitti poſse.

§. 122. Et inferiùs, ſcilicet pag. 253. cum quæſiiſſet P. Fr. Navarretta: *An Cæremoniæ illæ Confucianæ de quibus ſupra, prorſus eædem ſint*, ac illæ Cæremoniæ, atque urbanitatis officia, quæ diſcipuli ſolent erga Magiſtros ſuos vivos adhibere? Subiunctâ ratione dubitandi, quæ ſumitur, *inquit*, ab uſu communi earum cæremoniarum, quas adhiberi videmus, & quæ ſanè diverſiſſimæ ſunt: ita illi reſpondet P. Intorcetta. *Facienda eſt*, inquit, *di-*

ſtinctio tùm cæremoniarum, tùm Præceptorum, tùm temporum. Aliæ enim ſunt Cæremoniæ, quæ ordinariè fiunt à diſcipulis, ſuis Præceptoribus; & præcipuè cùm Præceptor diem ſui Natalis ſolemniter celebrat, aut cùm Præceptor diem obit. Tunc enim & Candelas, & argentum, & odores, & munera offerunt, & epitaphiis, & muſica, & genuflexionibus, & conviviis Præceptorem diſcipuli honorant, ſive vivum, ſive mortuum. Attendenda item qualitas Præceptorum; Quò enim horum dignitas, & merita majora ſunt, eò ſunt munera maiora, atque honoratiora, & majori cum ſolemnitate feſtivâ, Natalitia aut funebria celebrantur. Cùm itaque Confucius ſit totius Regni Magiſter, ejuſque qualitas, & merita longè ſuperent reliquorum Præceptorum merita: nihil mirum, ſi omnes Literati ejus diſcipuli ſolemnioribus Cæremoniis bis in anno politicè colant Defunctum Regni Magiſtrum.

§. 123. Tùm ità concludit idem

P.

P. Intorcetta pag. 255. *Vſus igitur Cæremoniarum hujus noſtræ ætatis erga Magiſtros vivos, ſi fiat debita diſtinctio, tùm cærimoniarum, tùm temporum, tùm qualitatis Præceptorum, non ſunt quoad ſubſtantialia differentes ab is quæ fiunt in aula Confucii.*

§. 124. Ad illam verò paritatem de papyri crematione, quâ dicit P. Fr. Navarrete ſe uſum fuiſſe adverſus Jeſuitas, reſpondet P. Intorcetta pag. 256. *quòd cùm ſuprà probatum ſit, & in expoſitione libri* Chum yun, *inquit, fuſiùs probetur, Sinenſes* communiter *honorare ſuos defunctos eo modo, quo hos honorabant, cùm ſuperſtites eſſent; quibus nullo modo regulariter loquendo, maſſas papyraceas in honorem, ac cultum civilem cremabant; non apparet in quo fundetur contra nos, & libros noſtros paritas rationis. Cùm hanc Paternitas Veſtra* (inquit allóquens eundem Navarretam) *clariùs explicabit, clarior quoque dabitur reſponſio.*

§. 125. Atque hîc ſubdit P. Intorcetta pag. 257. Ex hoc ipſo quòd P. Fr. Navarreta fateatur antiquos Miſſionarios Jeſuitas, & Sinenſes quoque Chriſtianos, Literatos, & non Literatos, paſſim uti contra Gentiles paritate illa fundata in illo Priſcorum textu: *Su ſu ju ſu ſem*; *ſerviendum obſequendumque defunctis eo modo, quo ſerviebatur illis cùm adhuc viverent*: ex hoc, inquam, manifeſtè oſtendi, tùm vim magnam paritatis, tum conceptum communem Sinenſium in hoc conſpirare, ut velint ſententiam illam Priſcorum, intelligi modo illo jam explicato (in §. §. ſcilicet præcedentibus) & illis regulam eſſe, ac principium fundamentale omnis ritus civilis erga defunctos.

§. 126. Similiter autem eidem Patri Fr. Navavarretæ reſpondet P. Brancatus loco citato, ſcilicet part. 2. pag. 110. Ubi dicit obſequia, & officia, quæ alicui præſtantur, poſſe dupliciter conſiderari, vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum mo-

modum : *Veluti, cùm quis convivio excipitur ; parantur*, inquit, *& offeruntur fercula dupliciter, vel ſimplici cultu, vel cum apparatu, cum muſica, cum Scenica actione, cum exploſione tormentorum &c. Subſtantiam ferculorum in utroque convivio ſupponimus eandem eſſe, ſed modus convivandi diverſus eſt.* Item, eadem munera, & officia poſſunt habere inter ſe diſtinctionem à fine, propter quem munera illa præſtantur, &c.

§. 127. His ita præmiſſis,ità concludit idem P. Brancatus pag. 111. *Dico igitur munera, & obſequia Confucio oblata tam vivo, quàm mortuo, eadem eſſe* quoad ſubſtantiam, *& differre ſolùm* circa modum, & ſolemnitatem : *item, eadem eſſe* quoad ſinem *tam vivo, quam mortuo oblata* : *nam illi offeruntur in ſignum grati animi propter doctrinæ beneficium ab eo receptum.* Ac ſubdit idem ibidem, *ſimilia munera magiſtratibus, & Benefactoribus vivis, paſſim ab omnibus offerri.*

 §. 128.

§. 128. Et quod attinet ad illam paritatem de cæremonia cremandi papyros in honorem defunctorum ab infidelibus uſitata, reſpondet idem pag. 112. eam nullam habere vim contra Confucianas cæremonias. *Nam argumentum*, inquit, *quod poteſt confici ex hac confirmatione, & paritate, hoc eſt*: Vivo Confucio non offerebatis talia munera. Ergo neque mortuo debetis offerre. *Sicuti argumentantur Patres Noſtri contra papyracea ſuffumigia, ad Sinenſes ſuperſtitioſos ſermonem dirigentes: Veſtris parentibus vivis non comburebatis papyracea folia; ergo neque illis mortuis debetis illa comburere. Verumtamen* (ſubdit P. Brancatus) *paritas hæc nullo modo conſiſtit, aut cohæret: nam vivo Confucio eadem munera offerebantur, ac mortuo modò offeruntur, &c.* Quam in rem adducit etiam Sinicum illud axioma: *Su ſu ju ſu ſem; ideſt; ſerviendum eſt, ſive obſequium præſtandum eſt mortuis*, ſicuti vivis præſtatur.

§. 129. Indeque oſtendit idem P. Brancatus pag. 114. quomodo combuſtio ſerici in cæremoniis contraria non ſit Sinico illi axiomati: *Nimirum*, inquit, *quia holoſericum; quod nunc mortuo Confucio offertur, illud ipſum in eadem ſpecie viventi Confucio offerebatur. Comburitur autem holoſericum, non propter aliquam ſuperſtitionem ſupradictæ ſimilem; ſed quia poſt abſolutas cæremonias illas, cùm nulli uſui eſſe poſſit, comburitur; ſicuti fusè ſupra relatum fuit.*

§. 130. Eòdem facit, quod habet Illuſtriſſimus D. Gregorius Lopez ex ordine S. Dominici Epiſcopus Sinenſis in Tractatu per Reverendiſſimum à Leoniſſa approbatum, & auctum cap. 5. num. 54. *Nota*, inquit, *quòd antiquitùs dum adulti vivi convivio ſe ſe excipiebant, panni ſerici petiam (ideſt, volumen) in diſco argenteo ſuper menſa collocabant, hoſpiti eam offerendo, ut ita eum ad edendum, bibendunque moverent. Quæ cauſa*

eſt hujus ritus in oblatione Ci *erga Magiſtrum defunctum frequentandi*; *ut id impleatur, quod dicitur*: ſerviendum eſſe defunctis, quaſi viverent, quo etiam referri poterunt, quæ paulò pòſt dicentur ex P. Philippuccio.

§. 131. Secundò. Adducunt Adverſarii multa ex P. Fr. Varo 3. par. cap. 4. art. 7. in quibus ajunt diſconvenire ritus iſtos ab illis, qui fiunt erga vivos: ac præſertim ponderant maximam devotionem, & reverentiam, nedum externam, verùm etiam internam, quæ in libris Sinicis præſcripta eſt pro omnibus oblationibus Progenitorum, & generaliter pro omnibus oblationibus *Ci*, & totum hoc ad finem ſe communicandi cum ſpiritibus claris ſuorum Progenitorum, inquit, idem Uaro 3. part. cap. 4. art. 1. ubi citat quoſdam textus ex *Liki*, quibus illa interna devotio commendatur.

§. 132. Reſpondent PP. Societatis multa ibi adduci, quæ non ſubſiſtunt, uti patere poteſt ex dictis

ctis, in ipſorum *Expoſitione*. Quod ſpectat ad illam reverentiam, & devotionem. Notat Pater Philippuccius in Reſponſione ad Textum decimum, qui habetur in explicatione 37. Textuum ab ipſo facta, multa ab Adverſariis afferri, ubi loquuntur de oblationibus *Ci*, quæ data ſunt, non in particulari pro oblationibus ad defunctos, ſed pro oblationibus ad alios ſpiritus, quos Sinæ adorant. Hoc declaratum manet, inquit; per Textus *Cheuli Kiven* ſive lib. 9.

§. 133. Idem in Reſpoſione ad Textum undecimum: *In Reſponſione ad præcedens Adnotatum apparuit tria illa mirabilia, & proficua* Ci *non pertinere ad oblationes factas defunctis, de quibus agunt Adnotata. Hic textus etiam nihil probat ad intentum, quia ejus commentarius ità dicit*. . . . . ſcilicet, ſubſtantia harum oblationum nititur in exhauriendo affectu cordis: hanc virtutem requirit, & non amplius, *quoad puritatem animi, nihil agitur*

agitur de ea in textu, neque de re, quæ excedat terminos, ac finem politicum.

§. 134. Accedit, quod habet idem P. Philippuccius in Reſponſione ad Textum duodecimum: *Præterea*, inquit, *in Textu, ne per umbram quidem nominatur* Sanctitas, *ut affirmat Adnotatum, ſed ſolùm perfectio, & conſenſus omnium actionum, quæ ad oblationes defunctorum pertinent, ut bene fiant.*

§. 135. Accedit, quod habet Illuſtriſſimus D. Gregorius Lopez in ſuo tractatu per Reverendiſſimum a Leoniſſa approbato, & aucto cap. 4. num. 35. ubi explicat ex ſenſu Doctorum Sinenſium, quid ſit illa *communicatio cum ſpiritibus claris ſuorum Progenitorum*, quam ſcilicet his verbis declarant. *Sicut v. g. quando ex arbore deſumptus ramus, aut ſemen, plantatur aut ſeritur; licet ſiccetur truncus, adhuc dictus ramus plantatus creſcit, & ſemen latum naſcitur, ſeu germinat: & hoc quia ſicci illius trunci quadam adhuc*

adhuc virtus remanet in ramo, & ſemine, quaſi arbor illa adhuc extaret. Filius ergò offerendo parentibus, ſi ex corde, ac reverenter celebret hujuſmodi ritum, videbitur parentum ſpiritus adhuc aliqualiter in filio remanſiſſe. Si verò ille, non ex corde, aut irreverenter peragat, nullatenùs videbitur ſpiritus dictorum parentum in filio remanere. Quare totum eſſe ſpiritus defunctorum conſiſtit in corde filii. Hoc ſcilicet eſt juxtà ſenſum Sinenſium communicare ſe cùm ſpiritibus claris ſuorum Progenitorum in oblationibus, quæ illis fiunt: *iſtas oblationes cum tanto affectu peragere, ut videatur Spiritus Patris in corde filii remanſiſſe.* Ità refert, ac teſtatur Dominus à Leoniſſa cum D. Gregorio Lopez.

§. 136. Denique explicat Pater Philippuccius, quo ſenſu verum ſit cæremonias erga mortuos fieri apud Sinas, quæ fieri ſolent erga viventes; ſic habet in Reſponſione ad Textum 37. *Clarum eſt,* inquit, *vivos*

vivos non tractari univerſaliter ſicut mortuos,& in hoc ſenſu mortuos tractari diverſimodè quàm vivos. Inſuper inter vivos oportet fieri diſtinctionem præſentium, & abſentium: præſentes uno modo, abſentes alio modo tractantur. Abſentibus mittuntur apophoreta, nuncia, litteræ; petitur ut veniant ad ſolandos amicos, etiam quando certò ſcitur eos non poſſe venire; & in his cæremoniis epiſtolaribus Sinæ abundant magis quam Europei, præſentibus nihil horum fit.

§. 137. Hoc *modo,* pergit idem, *Sinæ tractant ſuos defunctos, oſtendentes in ſuis* Choven, *ſeu orationibus funebribus magnum dolorem ex morte eorum cum terminis hyperbolicis; & dicunt ex magno dolore ſe effundere lacrymas ſanguinis; quod eſt falſum. Solùm oſtendunt deſideria intima eos revidendi, & alloquendi, ac ſi viverent, & adeſſent; etiamſi credant animam, & corpus defuncti in cineres redigi. In hoc etiam modus agendi cum defunctis*

ctis, diverſus eſt à modo agendi cum vivis, & præſentibus.

§. 138. *Attamen in aliis rebus,* ſubdit idem P. Philippuccius, *cultus vivorum, & defunctorum eſt ſimilis: in China eodem modo fit oblatio vivis, & defunctis: & æqualiter hæ oblationes vocantur* Ci (*ut oſtendetur in charta ſeparata*) *tum in conviviis, tum extra, faciunt Sinæ Catalogos pro memoria Benefactorum vivorum; & quotidie manè, & veſperi urunt odores, & faciunt profundam reverentiam: omnia hæc, ut gratos ſe oſtendant erga benefactorem vivum, & abſentem. Unus ex his caſibus legi poteſt in libro, cui titulus* Xui hu chuên *in* 4. Kiuên *paulò poſt initium. Non erit mirandum ſi Sinæ æquivalens faciant erga Progenitores defunctos.*

§. 139. *Hinc arguitur*, concludit P. Philippuccius, *quò etſi cæremoniæ erga defunctos in aliqua re differant à cæremoniis erga vivos, non ideò eſt impoſſibile, ut maneant inter terminos politicos, ut ait Adnotatum*

tatum : ſecluſis ſemper politicis, à quibus ſcilicet in præſenti præſcinditur.

§. 140. Denique videri poteſt, quàm pravè P. Fr. Varo interpretatus ſit Sinicum illud axioma: *honorantur mortui, ſicut honorantur vivi*, apud eumdem P. Philippuccium in *Sagitta retorta*, quæſito 68. *Quæritur*, inquit, *utrum illud Sinicum circà cultum defunctorum Axioma*: Honorantur mortui ſicut honorantur vivi, *ab Europeo Miſſionario bene explicetur, dicendo; mortuorum cadavera venerari, et antè illa genua flectere, atque in loculo, & ſepulchro, defunctorum epitaphium inſculpere; hoc eſſe honorare mortuos, ſicut honorantur vivi; eò quòd hoc edulia offerendi miniſterium, vivis nequaquam præſtetur.*

§. 141. *Ratio quærendi eſt*, inquit P. Philippuccius, *quia P. Varo in ſuo Sinico opuſculo, quæſito 7. ſic ait : Cognatorum, ſociorum, vel amicorum cadavera venerari, ante illa genuflectere, ac in loculis, & ſe-*

ſepulchris epitaphia inſcribere : hæc omnia ritus ſunt honorandi mortuos, ſicut honorantur viventes ; hoc quidem (Divina lex) non prohibet) penitus autem interdicit munera defunctis offerre (hoc P. Varo non ex Sinarum, ſed ex ſuo ſenſu interpretatur ſacrificare defunctis) *Ritus hic non tantum limites rationis excedit, ſed etiam non eſt illos honorare, ac ſi in vivis extarent. Qua de cauſa ?* (Ad hoc ſibi P. Varo reſpondet) *Ad omnes Progenitores in vivis extantes honorandos, filii, & nepotes hunc ritum rarò uſurpant, eundemque illi non admittunt. Cùm igitur ritus hic, eo quo Progenitores vivunt tempore, exerceri non deceat, neceſſariò ſequitur, minimè convenire, eundem poſt eorum mortem adhibere.*

§. 142. *Ratio dubitandi eſt* (ſubdit idem P. Philippuccius) *quia ſummè ineptum, & evidenter falſum eſſe videtur, aſſerere, tractari mortuos, ſicut tractantur vivi, cùm mortuorum cadavera genuflectionibus*

tatum : ſecluſis ſemper politicis. à quibus ſcilicet in præſenti præſcinditur.

§. 140. Denique videri poteſt, quàm pravè P. Fr. Varo interpretatus ſit Sinicum illud axioma: *honorantur mortui, ſicut honorantur vivi*, apud eumdem P. Philippuccium in *Sagitta retorta*, quæſito 68. *Quæritur*, inquit, *utrum illud Sinicum circà cultum defunctorum Axioma*: Honorantur mortui ſicut honorantur vivi, *ab Europeo Miſſionario bene explicetur, dicendo; mortuorum cadavera venerari, et antè illa genua flectere, atque in loculo, & ſepulchro, defunctorum epitaphium inſculpere; hoc eſſe honorare mortuos, ſicut honorantur vivi; eò quòd hoc edulia offerendi miniſterium, vivis nequaquam præſtetur.*

§. 141. *Ratio quærendi eſt*, inquit P. Philippuccius, *quia P. Varo in ſuo Sinico opuſculo, quæſito 7. ſic ait : Cognatorum, ſociorum, vel amicorum cadavera venerari, ante illa genuflectere, ac in loculis, & ſe-*

ſepulchris epitaphia inſcribere : hæc omnia ritus ſunt honorandi mortuos, ſicut honorantur viventes ; hoc quidem (Divina lex) non prohibet) penitus autem interdicit munera defunctis offerre (hoc P. Varo non ex Sinarum, ſed ex ſuo ſenſu interpretatur ſacrificare defunctis) *Ritus hic non tantum limites rationis excedit, ſed etiam non eſt illos honorare, ac ſi in vivis extarent. Qua de cauſa?* (Ad hoc ſibi P. Varo reſpondet) *Ad omnes Progenitores in vivis extantes honorandos, filii, & nepotes hunc ritum raro uſurpant, eundemque illi non admittunt. Cùm igitur ritus hic, eo quo Progenitores vivunt tempore, exerceri non deceat, neceſſariò ſequitur, minimè convenire, eundem poſt eorum mortem adhibere.*

§. 142. *Ratio dubitandi eſt* (ſubdit idem P. Philippuccius) *quia ſummè ineptum, & evidenter falſum eſſe videtur, aſſerere, tractari mortuos, ſicut tractantur vivi, cùm mortuorum cadavera genuflectionibus*

bus, aliiſque reverentiæ ſignis honorantur, eorumque loculi, & ſepulchra honorificis epitaphiis exornantur. Quis enim unquam ſanæ mentis, hæc cum vivis agi, audeat affirmare? E contrà, non rarò, ut P. Varo intrepidè pronunciat, ſed quotidie iterum, atque iterum edulia offerri in China viventibus; quis ſui compos negare tentabit? *Ad tuendum igitur poſitum, & neſciens quid diceret, idem Pater in prædicta verba proſiluiſſe, & nequaquam Sinenſis Axiomatis genuium ſenſum intellexiſſe videtur. Alibi plurimis, & clariſſimis Sinicis textibus demonſtrabitur, legitimum prædicti Axiomatis ſenſum eſſe, quòd* eàdem intentione, & motivo formali Sinenſes naturalem pietatem, & politicum obſequium erga defunctos exercent, ſicuti erga eoſdem adhuc ſuperſtites exercebant. *Ità P. Philippuccius in Varum.*

DUBIUM VI.

Quo fine ſanguis, & pili animalis offerantur in ritibus confucianis, & poſtea ſepeliantur?

§. 143. PRimò. Aſſertur ab Adverſariis, quod circa hoc habet P.Fr. Varo pag. 33. ubi dicit iſtam cæremoniam fieri non ſolùm in oblationibus Confucii, & Progenitorum, ſed etiam in ſacrificio, quod ab Imperatore fit Cęlo, & Terræ; unde concludit illam haberi tanquam Sacram. Deinde adducit quendam Textum ex *LiKi* cap. *Chy y*; ubi Commentator dicit cum pilis oblatis dari notitiam ſpiritui, quòd oblatio ſit integra; atque illos ſumi ex parte auris, quia in auribus dominatur auditus: undè ex auribus accipiuntur, quia volunt ut Spiritus audiat. Tum in *LiKi* cap. *kiao te Seng*, dicitur quòd offertur ſanguis in principio oblationis ad vocandum Spi-

 ritum

ritum in Domum, in qua fit oblatio: Et quòd cum animali vivo vocantur Spiritus ad Aulam principalem, & cum pilis & ſanguine vocantur ad aulam interiorem, &c.

§. 144. Reſpondent PP. Societatis incompertum ſibi eſſe, utrum (quod P. Fr. Varo aſſerit) cæremonia iſta offerendi pilum, & ſanguinem, habeat etiam locum in Sacrificio Cęli, & Terræ. Siquidem id nuſquam reperiri potuit inter varia oblationum genera, quæ recenſentur à P. Intorcetta in Tractatu de Cultu Sinenſium à pag. 112. ad pag. 140. Quamquam, ſi verum illud ſit, non videtur propterea aſſerendum eſſe aliquid è ſua natura ſacrum, ſeu cultui religioſo addictum: cum plura etiam inter nos ſint, quæ adhibentur in cæremoniis ſacris, & quæ nihilominus adhiberi etiam poſſunt ad cultum politicum; ex diverſa ſcilicet inſtitutione, & intentione qua adhibentur.

§. 145. Interim verò videri poterit idem P. Intorcetta pag. 117. ubi agit

agit de Sacrificio illo, quod ab Imperatore fit Cœlo, & Terræ ex præſcripto *Liki*, & ubi longè alia eſt ejus ratio, quàm fuerit à Varo ſignificatum: *Hujus Holocauſti*, inquit, *minutiores circumſtantias nobis declarat liber* Liki, ci, ſā *par.* 8. *fol.* 31. *cum ait*: ſān chai tai tan, ci tiēn ye y mâi tai chē, K ye. Cremantur ligna in alto, magno ac rotundo montis culmine, ad ſacrificandum Cœlo: ſepelitur victima in magno ipſius montis quadrato colle ad ſacrificandum terræ. *Circumſtantias, quæ in his textûs verbis latent*, *declarat* (Chi Kiā yuē) *Commentator cum ait*, Cie chai yū, tān xàm Kiā sēm yō yū chai xàm nài leào chi ſu Ki cà yu tiēn cìi ci tiēn chì li yè. tài tān ciē hoān Kieū yè. tài chè, cūn chi chi cū y mâi sēm pi cio ti chi li yè tài chê, cè ſām *Kieū*. *Ideſt*, accumulantur, aut congeruntur ligna in collis parte ſuperiori, & imponitur vivum animal, bos ſcilicet, & inſuper lapides pretioſi ſuper li-

gna; & deinde cremantur hæc omnia. Sic fit, ut odor, ac fumus penetret ad Cęlum uſque. *Et hic quidem eſt ſacrificandi Cœlo ritus. Verba illa* tai t'an *idem ſonant, ac* rotundum callem; t'ai *verò littera honoris cauſâ hic apponitur. Sepelitur deindè aliud animal, & ſericum in colle quadrato montis, & hic quidem eſt ſacrificandi terræ ritus; verba enim illa textûs* t'ai chẽ, *hunc ſcilicet quadratum collem ſignificant, &c.* In quibus, ut patet, nulla fit mentio pili, & ſanguinis offerendi, dum fit ſacrificium Cęlo, & Terræ; tametſi *minutiores circumſtantiæ*, ut dicit P. Intorcetta, ibi declarentur.

§. 146. Quod attinet ad varios illos Textus à P. Fr. Varo adductos & de auditu Spirituum intellectos: Reſpondent PP. Societatis illos non fuiſſe incognitos ſuis Miſſionariis Sinenſibus, ſed longè aliter intellectos ab illis fuiſſe; idque non ex proprio ſenſu, ſed ex ſenſu Litteratorum Sinenſium, quos ſuper hac

re

re conſuluere, ut teſtatur P. Intorcetta pag. 81. & ſeq. *Nobis*, inquit, *ſeriò examinantibus ritus hodiernos, &* interrogantibus litteratos, *eum præcipuè, qui in ritibus hiſce eruditus, lauream, & gradum fuerat adeptus, cui nomen* cai fō ſām, *reſponderunt cæremoniam hanc* offerendi pilos, & ſanguinem, eàque deinde ſepeliendi, *bis in anno in uſu eſſe, & in omnibus ferè Provinciis: myſterium autem offerendi dictos pilos, & ſanguinem, nullum aliud eſſe, quàm velle eos integrè offerre animalium munus, ſcilicet*, y civên hien: *& quoniam ad integritatem hanc declarandam, maximè conducit offerre tùm intima, tùm extima animalis, ideò offerunt ſanguinem, & adipem, quæ intimiora ſunt; offerunt item pilos, qui ſunt ipſius animalis partes magis extimæ: hunc igitur, & non alium eſſe Litteratorum finem in oblatione* hivè maō *ſanguinis ſcilicet, & pilorum, dixerunt.*

§. 147. *Sed ne videantur ſine ullo*

fundamento hoc aſſerere, pergit P. Intorcetta, *auctoritates quibus innituntur hic proponamus* : *In libro* li *Kì* Kiaõ tẽ sẽm, *part.* 5. *fol.* 54. *dicitur* : mào hivẽ caò yeũ civên chì vẽ : cào yeũ civên chi vẽ chè, guèy xûn chi tào yè. Pilos & ſanguinem offerunt intimiorem, ac ſecretiorem, itemque magis extimam, & completivam rem: hoc quod eſt inferre intimiorem, & magis extimam rem, eſt magni faciendi integritatem regula, ac ratio. Chù Kià yuè. *Commentator in hunc locum ait*: mào kiẽ hivẽ, caò xin chẽ: hivẽ cài nùi xì cào kì yeu, mào cài vài xi caò Kì civê yè: guèi xûn chè piaò li *Kiaì* xèn. Pili, & ſanguis offeruntur ſpiritibus; Sanguis, quia eſt intra ipſum animal, hoc eſt offerre quidquid ipſius animalis intimum, ac reconditum eſt: pili quia ſunt extimæ partes, & à parte exteriori ipſius animalis; hoc eſt offerre ipſiuſmet animalis complementum, & quaſi totalitatem. *Quando dicit textus magnifaciendam*
eſſe

eſſe integritatem, per hac verba nihil aliud vult indicare, quàm omnia interiora ſcilicet, & exteriora, eſſe quid bonum; adeoque pertinere debent ad muneris integritatem.

§. 148. Hactenus ſunt authoritates Sinenſes; in quibus videre licebit inſignem aberrationem P. Fr. Vari, qui *partem interiorem* videtur accepiſſe pro *Aula interiore*, & *partem exteriorem pro Aula principali &c.* quemadmodum obſervari poterit comparando verſionem iſtam (quæ eſt docti Litterati Sinenſis) cum ſumma verſionis antea productæ ex ſcriptis P. Fr. Vari. Vide etiam ſuprà §. 62.

§. 149. Atque huc etiam referri poteſt, quod habet P. Philippuccius in Reſponſione ad Textum 34. ubi oſtendit totam adverſariorum hallucinationem circa ſimilem quemdam Textum provenire ex prava intelligentia duarum phraſium Sinicarum, quarum una eſt *y xin*, quam illi volunt ſignificare, *requieſcere ſpiritum*; altera verò eſt *chaò chō̃*

quam iidem contendunt ſignificare, *vocare cum ſanguine, & pilis animalis ſacrificati*. At probat Pater Philippuccius utramque interpretationem falſam eſſe; uti videre eſt in ſequentibus. *In hoc textu*, inquit, *inprimis explicandi ſunt duo modi loquendi Sinici, ex quibus pendet ſenſus textûs.*

§. 150. *Prima phraſis eſt* y xim. *Secunda eſt* chaò chō. *Hic una, & altera explicabitur. Litera* y *ſecundum vocabularia Sinica ſignificat* habere aliquam ſimilitudinem: *ſignificat etiam idem quod phraſis* fàm fæ: *quæ ſignificat* repræſentare.

§. 151. *Hoc poſito, accipiendo litteram* y *ſimul cum litera* xin, *ea in hoc textu ſignificat, repræſentare defunctum. Quòd litera* xin *habeat ſignificationem defuncti, ſuperfluum eſt id probare.*

§. 152. *Probatur modò ex variis textibus Sinicis ſupradicta ſignificatio duarum litterarum* y xin. *In primo Tomo* li ki *(diviſi in decem Tomos) in capitulo* Kiò li *pag.* . .

facta

facta illic mentione in commento de Chûm, *quod erat lignum trium cubitorum, quod olim conficiebatur immediatè poſt mortem defuncti, dicitur confici ad* y xim. *Idem confirmatur in* kia li *impreſſo in* 4. *tomis per* Cheū cùm, *kiao tomo, vel Kivēm* 4. *pag.* . . . *In eodem tomo* 4. *facta mentione de quodam involucro ſerico, compoſito in figuram (quamvis rud m) hominis, quæ vocatur* hoên pê, *dicitur de ipſa, quod videatur figura humana, & dicitur ideo* y xin, *repræſentare defunctum. Idem repetitur in dicto* Kivêm *pag.* . . . *In eodem kiven pag.* . . *ita dicitur* . . . . .
. . . .
. . . . Hoc eſt *Spiritus non habent figuram: præparantur epulæ, & vinum (hoc ſignificant duæ literæ* Xè tieñ) *ad repræſentandum eoſdem defunctos.*

§. 153. *Deindè quod ſignifi cat litera* Xi, *valet idem, quod libri Sinici appellant* Xîn Siam, *ideſt, imaginem aut repræſentationem defunctorum.*

In

In vocabulario Chim cum tum *dicitur* y xin, ideſt, repræſentare defunctum,

§. 154. *Si igitur litera* y xin *ſignificarent fulcrum animæ, & animam adhærere, & ſedere &c. bene apparet ſenſum fore valdè abſonum, & violentum; quoniam conſtitueret Animam in menſa, in ligno vocato* Chùm, *& in* Chù, *ſive* Lîm, *in epulis, in vino, & in homine vocato xi. Bene apparet ſenſum magis naturalem eſſe, quòd omnes iſtæ res ſignificent repræſentationem defuncti. Multò plus dici poterat in hac materia, ſed melius eſt eam ſervare ad proprium tractatum de* Lîm guèi &c.

§. 155. *Quo ad ſignificationem, phraſis* Chao Chò, pergit P. Philippuccius; *Prima litera* Chào *idem ſignificat, quòd litera* cào. *Hæc litera* cào *ſecundum citatum* Kiàli I. Kìvên *pag ... ſignificat reverentiam exhibere cum aliquo verbo venerationis. Litera verò* Chò *ſignificat rogare, invitare, orare, non ſolùm*

orare

orare religioſè , ſed etiam politicè , cæremonialiter & Oratoriè ; uti videri poteſt in eodem Kiali , *num.* 2. Hivên *de ritibus accipiendi biretum & num.* 3. Kivên *de ritibus matrimoniorum.*

§. 146. *Suppoſitis iſtis explicationibus clarus manet præſens textus:*
. . . .
. . . *qui ſic videtur vertendus eſſe:* Extenditur quædam ſtorea , & præparatur quædam menſa ad repræſentandum defunctum ; poſtea verbis venerationis invitatur defunctus, priùs intra Aulam, poſtea extra illam ad partem lateralem januæ. Hic eſt modus agendi cum defunctis. *Hactenus textus.*

§. 157 *Textus continet duo puncta, primum eſt de ſignificatione duarum literarum* y Xin. *De hoc jam dictum eſt.. Secundum eſt de invitando defuncto ad deſcendendum . De hoc agetur in textu 35. ſequenti.*

§. 158. *Reſpondendo modò directè ad illud quod dicit adnotatum hujus*

textus 34. *Imprimis negatur literam* ע *hic ſignificare requiem, aut locum requiei.*

§. 159. *Secundo negatur ex vi hujus textus probari, quòd Sinæ credant Spiritus venire ad tabellas. Imò potiùs dato, quod textus clarè diceret animam defuncti ſedere, adhærere, hoc eſſet in menſa, & non in tabellis.*

§. 160. Tertio *negatur* Chaò Chò *eſſe vocare illos cum ſanguine & pilis animalis ſacrificati; quoniam, ut ſupra viſum eſt, neque in textu, neque in commento hoc inſinuatur, aut attingitur, nec per per umbram.*

§. 161. *Quarto negatur axioma habitum pro certo in adnotato, ſcilicet, illum ritum non eſſe politicum, cùm non fiat ad viventem; quoniam probaret, orationem funebrem, compoſitiones literarias, & poemata, cenotaphium cum tanto apparatu, & faſtu ſeculari, imò potiùs funus mortuorum, nullo modo eſſe actiones, & res politicas, ſed omnes religioſas; quoniam ipſæ non*

ſunt

fiunt ad viventes.

§ 162. *Quinto. Quod dicitur in adnotato, eos ſcilicet intùs vocare cum ſanguine, & foras cum pilis eſſe regulam reuniendi* quei xîn *ut ſibi complaceant in Sacrificio : magna eſſet fortuna videre textum Sinicum, qui talia dicat . In textu* 37. *(& non in præſenti) ſermo eſt de ſanguine , & pilis animalis oblati, ſed in diverſiſſimo ſenſu : illic videbitur , quid ſit* intus , & foras *ut loquitur hoc adnotatum.*

§. 163. Hactenus P. Philippuccius, qui & illîc, ſcilicet in Reſponſione ad Textum 37. uti jam ſupra vidimus §. 62. illud reipſa expoſuit, quod hîc facturum ſe ſpondet; ita nimirum ut pro eo quod Adverſarii poſuerunt : *Vocare ſpiritus intus cum ſanguine , & extra cum pilis*, nihil aliud ſignificetur per textum Sinicum, niſi quòd *res oblata defunctis interiùs per ſanguinem, & exteriùs per pilos oſtenditur integra, & æſtimatione digna* : quemadmodum, & paulò ſuprà §. 146. in hoc ipſo

ipſo dubio ſexto declaratum eſt ex P. Intorcetta Textum Sinicum proferente cum explicatione Literatorum Sinenſium.

§. 164. Secundo afferunt Adverſarii varia ex P. Fr. Navarreta tom. 2. pag. 379., & ſequentibus, quibus dicitur cum pilo, & ſanguine admonere, ſeu certiores fieri ſpiritus. Ac inter alia refert pag. 411. num. 6. ex tom. 5. Sinici ritualis *Liki* hæc verba: *Cum pilis, & ſanguine admonentur ſpiritus: ſanguis eſt res interior; ideòque cum illo admonentur de occultis, & reconditis: pili ſunt res exterior; ac proinde cum illis admonentur de omnibus. Hoc ſignificat ait Commentator quòd interiùs, & exteriùs, omnia bona ſunt.*

§. 165. Reſpondent PP. Societatis hujuſmodi textus Patris Fr. Navarretæ alios non videri, quam textus Patris Fr. Vari jam explicatos: ac fundari utriuſque dicta in prava intelligentia linguæ Sinicæ, cujus admodum peritum non fuiſſe eundem

Na-

Navarretam conſtat ex ſpeciali ſcripto Theologis Qualificatoribus Romæ exhibito.

§. 166. Quamquam quod ſubjunxit ipſe Navarreta ex Commentatore à ſe proximè adducto, ſatis videtur deſtruere priorem ejus explicationem: quippe *hoc demum eſt, quod paulò ante* §. 163. *indicatum eſt ex P. Intorcetta*: Scilicet quod ideò fiat oblatio ſanguinis, & pilorum, ut indicetur rem oblatam eſſe integram, ſeu omnino bonam, ac æſtimatione dignam, tàm interiùs, quàm exteriùs: interiùs quidem per ſanguinem, & exteriùs per pilos: excluſâ proinde illa alia explicatione Navarretæ, ſomniantis *per ſanguinem, quia eſt res interior, admoneri ſpiritus de ocultis*; *&* *per pilos, quia ſunt res exterior, admoneri illos de omnibus*.

§. 167. Ad cujus rei majorem intelligentiam videri poterit idem P. Intorcetta in Tractatu de cultu Sinenſium pag. 92. notâ duodecimâ circa litteram *Cào*; quam quidem

Ad-

Adverſarii volunt determinatè ſignificare *admonere*, vel *certiorem facere*, aut *aperire*: cum tamen alias habeat ſignificationes, *ut gratias referre, vel gratum eſſe alicui ob beneficia ab eo accepta. Et in hoc ſenſu*, inquit P. Intorcetta, *accipitur, locus ille libri* Sim Li-ta Civem, *par.* 3. *compendii fol.* 19. *vbi hæc habes*: Vam sù fù cù pàò tè pào cum chi vû cin yen: Reges oblationibus munerum honorant Confucium, ut ſic ſe gratos oſtendant ſemper ejus virtuti, gratoſque meritis ſine intermiſſione. *Illam eamdem vim hîc habet* pào *litera, quam haberet* cào; *quia in Dictionario Sinico dicitur*: Cao pào ye *id eſt*: *litera* Cao *habet ſignificationem eamdem cum literâ* pào *&c.*

DU-

DUBIUM VII.

An ante oblationes Confucio faciendas præſcripta ſint aliquot dierum jejunia, & continentia?

§. 168. ADverſarii utrumque hoc punctum abſolutè aſſeruerant in Relatione S. Congr. Particulari exhibita ex teſtimonio Domini à Leoniſſa, quaſi expreſſum re ipſa fuiſſet in Rituali Sinico *Famin hòey tien*, uti videri poteſt in expoſitione Facti impreſſa, pag. 78. Cum tamen id minimè expreſſum eſſet in illo Rituali, ſed inde ad ſummum per quamdam argumentationem inferri potuiſſet, conſultis aliis quibuſdam libris Sinenſibus; quemadmodum PP. Societatis in eadem facti expoſitione ſignificarunt.

§. 169. Ac nunc id fatentur Adverſarii, ſed argumentationem illam proſequi, & confirmare conantur. Primò quidem ex ipſis Authoribus

Jeſuitis Intorcetta, & Brancato, quos ajunt fateri oblationes Confucii, eſſe ejuſdem generis cum oblationibus, quæ fiunt Imperatoribus, ac Regibus defunctis.

§. 170. Secundò ex P. Fr. Varo cap. 5. art. 3. pag. 21. ubi adducit ex libris *Ta min hoey tien.* Decretum Regis *Hum vu* anno ſecundo Regni ſui, in quo habentur hæc verba Sinica *Chay* Kiay *yù Cù Ty Vang tung*, hoc eſt, *in jejuniis*, & *abſtinentia ſerviatur, ſicut regibus, & regulis. Et in libris* Liki, inquit, *pluriès præſcribuntur ante ſolemnes oblationes, quæ fiunt Progenitoribus defunctis, verbis iiſdem* Chày Kiay. *Jejunia autem, quæ præſcribuntur ibi*, inquit, *ſunt ſeptem dies abſtinentiæ; tres exteriores, non comedendo carnes, neque piſces, non bibendo vinum, nec audiendo comedias, & abſtinendo à thoro conjugali, quatuor verò interiores, cogitando de ſuis Progenitoribus defunctis, de verbis ipſorum, de iis quæ comedebant, & operabantur &c.*

§. 171.

§. 171. Tertiò ex P. Fr. Navarrete tom. 2. pag. 154. ubi dicit quòd in tom. 8. Ritualis *Liki* fol. 42. ponuntur pro præparatione oblationis *Chi* jejunia, & abſtinentia ab actu matrimoniali per ſeptem dies. Itemque pag. 161. dicit in libro claſſico *lun yu* haberi, quòd tribus in rebus Confucius erat valdè intentus: in jejuniis, in bello, & in morbo. Ubi Commentator *hæc* ait: in jejuniis ad celebrandam oblationem *Ci*, & ad uniendum ſe cum ſpiritibus; quia ſi deſit attentio ad jejunia, animus diſtrahetur, & animæ non fruentur illa oblatione *Ci*.

§. 172. Reſpondent PP. Societatis nihil facilius fuiſſe, quàm ſcire ex ipſis literatis Sinenſibus, tùm Chriſtianis, tùm etiam Gentilibus, quid eſſet ipſis injunctum circa ejuſmodi jejunia, & abſtinentiam oblationibus Confucianis præmittendam; quidve ab iiſdem reipſa obſervaretur: cùm res eſſet velut in propatulo poſita. Itaque cùm, illis ſuper ea re præteritis, aut neglectis, ma-

luerint Adverſarii ad neſcio quas textuum obſcuritates confugere, ſatis evidens eſt hæc jejunia, & hanc continentiam de facto non eſſe in uſu, & res eſſe ab illorum praxibus moribuſque prorſus alienas.

§. 173. Et hoc non parum videtur confirmaſſe ipſa declaratio Illuſtriſſimi à Leoniſſa, qui cùm rem hanc non aliter aſſeruiſſet, quàm per quamdam argumentationem uti ſæpè facere ſolitus eſt; ita demum ſuam aſſertionem moderandam eſſe putavit: *Se poi ſi oſſervino ò nò, non mi coſta di certo*: Id eſt: *Cæterùm utrum ea obſerventur, nec ne, mihi certum non eſt*.

§. 174. Quidquid verò id ſit, duo hîc dicuntur à Patribus Societatis, quæ & indicata ſunt in expoſitione facti jam ab ipſis exhibita. Primum eſt: per adductas authoritates non ſatis probari prætenſam prædictorum obſervantiam. Alterum eſt: illam, ſi reipſa præſcripta ſit, pertinere ad cultum civilem ex ipſa Textuum ab Adverſa-

riis

riis adductorum intentione.

§. 175. Nam primò, quod ſpectat ad teſtimonia Jeſuitarum in contrarium adductorum; Non ea ſe omnino habent, ſicut ab Adverſariis aſſeritur: Neque enim P. Brancatus ullam de Regibus *defunctis* mentionem fecit, ſed ſolùm de Regibus; uti videre eſt apud ipſum par. 1.pag. 315. ubi poſtquam dixit eam cæremoniam conſiſtere in parcimonia cibi, & potus, ſcilicet ut Mandarini, qui munera oblaturi ſunt, ante prandium, & maximè ante vini potionem accedant uti fieri ſolet reverentiæ causâ in viſitationibus Mandarinorum, & *quando munera offeruntur Regibus*; ſubdit hanc abſtinentiam eſſe ſimiliter ſervandam erga Confucium; *Confucius enim*, inquit, *regio jam titulo decoratus eſt*. Quod ſpectat ad P. Intorcettam; Nulla ſimiliter in illo loco eſt expreſſio de Regibus *defunctis* apud ipſum in manuſcripto originali, quod extat in Archivio Romano Societatis. At licet ea fuerit in manuſcri-

pto, ex quo facta eſt impreſſio, ſatis aliunde conſtat non eſſe illam intelligendam de omnimoda ſimilitudine honorum Confucii cum honoribus Regum defunctorum: cùm in eodem Tractatu impreſſo pag. 83. in fine dicatur, ſolùm honorari Confucium iiſdem fere ritibus, quibus defuncti Reges honorabantur. Neque enim Confucius honoratur à literatis Sinenſibus tanquam Rex ſimpliciter, ſed ut Rex dumtaxat ſapientiæ, *Ven Siven Van*, ſive tanquam Summus Magiſter, *Chi Xim Sù*; uti habetur in ipſo *Tamin hojen tien*, quo continetur modus honorandi Confucium, apud eumdem Intorcettam pag. 54., & ſequentibus: quiſquis tandem fuerit in hac parte ritus defunctos Reges honorandi.

§. 176. Secundò: quod adducit P. Fr. Varo ex *Tamin hoien tien*, non pertinet illud Decretum, ut dicit ipſe, ad annum ſecundum Regis *Hum vu*, ſed ad annum 26. in quo reipſa inveniuntur illa verba Sinica: *Chai Kiai-yu, ſu ti vam tùm*, apud P.In-

P. Intorcettam pag. 58. Quorum & ſenſus non videtur is eſſe, quem exhibuit P. F. Varo: Scilicet: *in jejuniis, & abſtinentia ſerviatur, ſicut Regibus, & Regulis*, ſed qualem ad literam affert P. Intorcetta loco citato; ſcilicet, *ut accedant jejuni*, id eſt, à cibo & potu abſtinentes: *cum ſint oblationes iis ſimiles, quæ fiunt Imperatoribus, & Regibus, uti paulò ante indicatum eſt.*

§. 177. Declaravit id etiam P. Brancatus loco illo citato, ſcilicet 1. par. pag. 314. & 315. ubi dicit nihil aliud ibi mandari, *niſi ut Mandarini, qui munera oblaturi ſunt, ante prandium, & præcipuè ante vini potionem accedant*: *quod hodie*, inquit, *etiam maximè ſervatur; ut viſitationes Mandarinorum, non fiant niſi ante prandium; & quamvis aliquandò jentaculum ſumant, nullo modo audent vinum bibere; idque ut ſæpius audivi, propter reverentiam Mandarini, propter quem inſtituitur viſitatio: offenderetur namque ſi vinum viſitans oleret; hæc*

verò abſtinentia rigidè ſervanda eſt, ſicuti ſervatur, quando munera offeruntur Regibus: Confucius enim regio jam titulo decoratus eſt.

§. 178. Ubi & notandum, quod declarat idem P. Brancatus paulò ſuperiùs, ſcilicet pag. 310. ſe quoniam in triginta annorum curriculo, quo inter Sinas verſatus erat, nunquam audiverat aliqua, quæ in communi cætu 23. Patrum narrata fuerant (*ſcilicet à RR. PP. Dominico Navarrete, & Antonio de Sancta Maria*) circa ritus Confucianos, voluiſſe ejuſmodi ritus ad examen revocare, ac ſe uſum in his indagandis fuiſſe operâ docti cujuſdam Mandarini, cui nomen *Cai hò fàm*; qui Rituum doctrinis maximè eruditus erat; ut qui in his lauream fuerat adeptus: quem & ait januam ſibi ad multorum intelligentiam aperuiſſe; atque ſe demum cum ea notitia Conſtitutiones evoluiſſe ad cultum Confucii pertinentes, quæ in *Tamin hoei tien* continentur.

§. 179. Hinc nec obſtare videtur,

tur, quod ſubjunctum eſt ex P. Fr. Varo dicente in libris *Liki* ante ſolemnes oblationes, quæ fiunt Progenitoribus defunctis obſervantiam illam (ſcilicet jejuniorum, & abſtinentiæ à thoro conjugali per ſeptem dies) præſcribi iiſdem verbis *Chai Kiai*. Nam ſi alia verba non adſint, hæc minimè ſufficiunt ad id ſignificandum; cùm aliud non ſonent ex PP. Intorcetta & Brancato, quàm abſtinentiam à *Cibo, & potu*; uti paulò ante expreſſum eſt.

§. 180. Præterquamquòd in Conſtitutione illa Imperiali fit ſolùm mentio de Imperatoribus, & Regibus, ſeu de Regibus, & Regulis: at in loco iſto librorum *Liki* adducto à P. F. Varo, mentio fieri ſupponitur de Progenitoribus defunctis generatim ſumptis. Ex quo liquet non magis ad rem eſſe locum priorem, quàm poſteriorem, prout à P. F. Varo adducitur. Neque enim ſi is ſenſus eſſet, quem ille utrobique intendit, debuiſſet dicere Conſtitutio, *ut Confucio ſerviatur in jejunio,*

&

& abſtinentia, ſicut Regibus, & Regulis, ſed ſicut Progenitoribus defunctis; cùm hoc eſſet aliquid commune, neque quidquam ſpeciale ea in re pro Imperatoribus, & Regibus, ſeu pro Regibus, & Regulis conſtitutum eſſet.

§. 181. His adde, quòd P. F. Varo libros *li*Ki ſolùm in genere pro hac cæremonia citavit, nullò adducto loco particulari, in quo dixerit illam contineri; quaſi timuerit ne ex qualitate loci falſitas, aut inanitas citationis detegi poſſet, uti apparebit ex his, quæ proximè dicentur ad locum Navarretæ.

§. 182. Tertiò ad id, quod relatum eſt ex P. F. Navarreta, qui pro hac cæremonia citavit, quod ait contineri tomo 8. *li*Ki, fol. 42. pro præparatione oblationis *Ci*, ſeu *Chi*, videtur applicandum, quod habet P. Philippucius in Cenſura *li*Ki; ubi dicit quòd in capite 24. vocato *Ci y* tom. 8. pag. 44. facie 2. *Chin* (celebris Author Sinenſis) refert unum Commentatorem dicentem doctrinam ibi

ibi poſitam non eſſe Confucii. Et pag. 48. facie 2. dicitur, *inquit*, doctrinam ibi relatam fuiſſe intruſam in *liKi*, à literatis modernis errore ſcilicet Sectariorum infectis. Tùm in cap. 26. vocato *Kim Liay* tom. 8. pag. 78. facie 1. & 2. *Chin* acriter notat doctrinam ibi relatam. Et pag. 81. facie 1. advertitur doctrinam ibi relatam, excerptam eſſe ex quodam libro non claſſico. Itemque tom. 9. cap. 33. vocato *Chi y* pag. 63. facie 1. Commentator advertit, *inquit*, eſſe hoc caput plenum multis erroribus, quamvis ſæpè in modo loquendi videatur ſequi doctrinam antiquorum ſapientum &c. Ea ſcilicet eſt Doctorum Sinenſium exiſtimatio de ejuſmodi locis *Liki*, quæ tamen ab Adverſariis adducuntur, tanquam receptam, & communem apud Sinas doctrinam continerent.

§. 183. Neque, felicior fuit idem Navarreta, in citando illo loco quem adduxit ex libro claſſico *lun yu* dicto. Non enim ſe habet locus, ut

illi

ille retulit; ſed ut *legitur* parte 4. pag. 38. in libro tertio ſcientiæ Sinicæ ſub Titulo Confucii Sinarum Philoſophi Pariſiis impreſſi an. 1687. in hunc ſcilicet modum: *Tria narrantur fuiſſe in quibus Confucius plurimum vigilantiæ, curæ & operæ ponebat: abſtinentia ſcilicet, antequam Sacris operaretur; conflictus cum hoſte; morbus*. Qui certè locus ſatis per ſe oſtendit quàm parum ipſe faciat ad rem præſentem, & quàm ineptè etiam P. Fr. Navarrete in Commentario à ſe adducto vocem *animæ* loco ſpiritus ſubſtituerit; ut Confucium in numero ſpirituum, ſeu Divorum Sinenſium collocaret.

§. 184. Ex his patet, quàm ſine fundamento prædicta obſervantia ab Adverſariis aſſeratur. Contra quos etiam facit obſervatio illa generalis, quam habet P. Fr. Dominicus Maria Sarpetri Dominicanus in ſuo Tractatu nuper impreſſo pag. 54. num. 6. *Sciendum & illud eſt*, inquit, *in libris ipſius* LiKi *multa*

de

de Bonziorum placitis aſperſa fuiſſe. *Notatum id à Patre Matthæo Riccio in libro* Xe y *cujus hæc verba ſunt* : LiKi yè xà tò yeù fixim jên etri y. *Atque id inter Doctores omnes Sinenſes convenit, clarèque habetur expreſſum in præfatione ad quoſdam ipſius libros appoſitâ, ut videre eſt ad librum* yve-lim, *&* *alios.*

§. 158. Eòque etiam pertinet, quod adnotavit P. Intorcetta in ſuo Tractatu de Cultu Sinenſium pag. 251. ubi ait: *Notandum hic eſt, non multum innitendum nobis eſſe authoritati quorumdam Expoſitorum, qui Sectariis adhærent, vel atheiſmo infecti ſunt: nec omninò adhærendum omnibus, ac quibuſcumque ſententiis, quæ in libro* li Ki *de ritibus extant, ſed prudenti ſelectione opus eſſe, quamvis enim liber hic in claſſicis numeretur; tamen, ut ipſi ejus Expoſitores ſuis locis notant, non omnia, quæ ibi narrantur priſcam fidem habere debent.* Et paulò inferiùs: *Multa*, inquit, *inveniuntur in libris* li Ki, *quæ propria ſecta-*

rum ſunt, non autem priſcorum; ſicuti & multos ibi ritus invenies, qui hac noſtra ætate ad uſum, & praxim nullatenùs reducuntur. *In uſu igitur horum librorum non minùs prudentiæ ſale, quàm accuratâ ſententiarum ſelectione utendum eſt.*

§. 186. Alterum, quod hîc dicunt PP. Societatis, eſt quòd ſi obſervantia illa præſcripta eſſet, qualis ab Adverſariis deſcripta eſt, ea nonniſi ad cultum quemdam politicum, ſeu civilem ſpectaret ex Textuum ab ipſis Adverſariis adductorum intentione: quatenus videlicet, ut ſignificavit P. Fr. Varo tota illa abſtinentia eò demum referretur ex præſcripto ipſius *li ki*, ut *cogitarent Sinæ de ſuis Progenitoribus defunctis, de verbis ipſorum, de iis quæ comedebant, & operabantur*. Quid quæſo, Sacri, & Religioſi in ejuſmodi præceptione reperiretur? Quo etiam modo illam repræſentavit Illuſtriſſimus à Leoniſſa in ſuis Reſponſ. ad S. C. P. uti relatum eſt in Expoſitione Facti impreſſa, pag. 84.

§. 187. Atque ad id, ſeu confirmandum, ſeu illuſtrandum attulerunt PP. Societatis in ſua illa Expoſitione Facti, inſignem quemdam locum S. Joannis Chryſoſtomi lib. de compunctione cordis ſub finem, ubi ſimilem quemdam ritum deſcribit, quem & *philoſophicum* appellat, *ideſt* politicum, ſeu civilem, & minimè reprobat: *Accerrimæ*, inquit, *continentiæ introducitur philoſophia: abſtinetur ab omnibus, aguntur extenta jejunia, juges vigiliæ &c.*

DUBIUM VIII.

An in cœremoniis Confucianis, finitis oblationibus promittantur felicitates?

§. 188. Hic Adverſarii Jeſuitarum toti ſunt in probando vocem Sinicam *fo*, cujus uſus eſt in cæremoniis confucianis. ſignificare felicitatem, quia ſupponunt, Jeſuitas id negaſſe in ſua expo-

poſitione Facti, ut promiſſionem illam felicitatum à cæremoniis confucianis excluderent.

§. 189. Ac primò quidem contrà Jeſuitarum expoſitionem adducitur P. F. Varo, qui literam *fo*, cujus uſus eſt in *Tamin hoey tien* ad ſolemnes Confucii oblationes, interpretatur felicitatem. Sic *fo cieu*, quod ibi ter reperiri dicit, idem eſt apud ipſum, ac vinum fortunatum: tum dicit pro penultima collecta, ſeu oratione facta Confucio poſt oblationem pronunciari *Hien hing pie fo*, quod idem eſt ac: *omnes recipimus bona, & felicitates*. Ac demum dicit in ultima oratione eſſe *Chi che xieu fo*, quod idem eſt ac: *faciendo iſtam oblationem* Chi *recipiuntur felicitates, & bona*.

§. 190. Scundò. Adducitur explicatio contenta in Relatione PP. Dominicanorum (quæ extat in Appendice Apologiæ Dominicanorum à pag. 29. Nam ibi num. 11. *Fo veu* vertitur omnium felicitatum, omniumque bonorum vinum. Et penultima

timæ orationis citatæ verba ità vertuntur num. 12. *Cæremoniæ, & muſicæ bene præparatæ fuerunt: Nos verò iſtis oblationibus in pace, & tranquillitate verſamur; & animæ, ſeu ſpiritus noſtri valdè lætantes ſunt: offerendo res iſtas certum manet, & ſequitur, quòd nos recipimus felicitates, honores, beneficia, & omnia bona*, & num. 31. Transferuntur illa verba ultimæ orationis in hunc modum: *Et, pro tantis oblationibus jam conſummatis, & peractis, omnes recipiemus, & conſecuti ſumus omnes felicitates, & omnia bona*. Atqui ibi in ea Relatione num. 5. dicitur iſtas collectas deſumptas eſſe ex *Tamin hoey tien* Tomo *ly pu* dicto &c.

§. 191. Tertiò. Addunt alia plura loca à P. Fr. Varo deſumpta ex libro *xi King*: ut quod ibi tom. 21. Tract. *Siao ya* cap. *tien pao* fol. 9. habetur, quòd *filiis obedientibus jejuniis, & puris, facientibus quatuor oblationes Progenitoribus in quatuor temporibus promittitur vita*

K *longa*

longa; quia ſpiritus veniunt, & relinquunt eis multa bona. Item quod eod. Tom. in fine cap. *Chu chu* dicitur, quòd *finitis oblationibus ſpiritus regrediuntur*. Item quod tom. 9. tract. 8. *ta ya*, cap. *Chen py tan* fol. 12. in 2. commento, dicitur, quòd Rex Vuen vang *toto corde, & affectu ſerviebat ſuis Progenitoribus, & ideò ſpiritus deſcendebant, & appropinquabant*. Item quod eodem tomo cap. *Cho King*, ubi fit mentio de muſica in oblationibus Progenitorum, gloſſa interlinearis dicit, quòd *faciendo iſtam cæremoniam muſicæ in dictis oblationibus recipiuntur felicitates*: Et magnum commentum ait, quòd *per conſonantiam muſicam pacificentur ſpiritus, lætantur, deſcendunt, & appropinquant, ut beneficia conferant.*

§. 192. Quartò. Proferunt ex eodem P. Fr. Varo orationem, quæ continetur in *Kia li*, ſeu cæremoniali Sinenſi cap. *Chi li*: quam recitant filii, & nepotes genuflexi ante tabernacula tabellarum priuſquam

fiant ſolemnes oblationes: & ſic habet: *Nos filii, & nepotes obedientes audemus petere quòd tabellæ extrahantur, & portentur ad iſtam Aulam, ſive Templum, ut hæc oblatio fiat cum reſpectu.* Deindè proſternuntur, & extractis tabellis à Miniſtris, offerens defert illas ſuper menſas, & poſt hæc fit cæremonia deſcenſus ſpiritus cum effuſione vini ſuper *maoxa*, & poſt talem cæremoniam fiunt proſtrationes, & inclinationes. &c.

§. 193. Quintò. Adducitur idem P. Fr. Varo redarguens PP. Brancatum, & Fabrum, quòd *focieu*, traduxerint *vinum rite paratum*, pro *vino fortunato*: cùm alibi in ſuis operibus literam *fo*, interpretati ſint de felicitatibus; & Varo oſtendit ità eſſe interpretandum ex libris claſſicis, ubi agitur de oblationibus, quæ fiunt defunctis; ubi ſcilicet ſæpiſſime dicitur, quòd recipiunt *fo*, petunt *fo* non petunt *fo* ſibi promittunt *fo*. *Nam ſi ſubſiſteret illa interpretatio, jam per illas loquendi*

formulas ſignificaretur , *quòd recipiunt*, *petunt*, *non petunt*, *ſibi promittunt* munus rite paratum : *quod ridiculum videtur.*

§. 194. Sextò. Afferunt KirKerum in Compendio Divinæ legis Sinico-latino, ubi pluries invenitur litera *fo*, & ſemper ipſi correſpondet latinè *felicitas*, nunquam autem *munus ritè paratum*. Idemque reperitur in ſumma decem præceptorum: Tum in lapide pervetuſto, qui repertus eſt in urbe *Siganfu*; nam literæ *fo* ibi ſcriptæ correſpondet perpetuò latina interpretatio; *fortuna*, *beatitudo*, aut *felicitas.*

§. 195. Reſpondent PP. Societatis fruſtra deſudaſſe Adverſarios, ut probarent litera Sinica *fo*, ſignificari *fortunam*, aut *felicitatem*; falsòque ſibi ab illis imputatum fuiſſe quòd id negaverint in *Sua Facti Expoſitione*: cùm oppoſitum ibidem tam expreſsè dixerint eo ipſo in loco, quem Adverſarii citarunt, ſcilicet pag. 94. editionis impreſſæ: ubi extant hæc verba: *Cum & apud Si-*

Sinas nihil familiarius ſit quam uſus ejus literæ fo , fauſtum *in eo ſenſu ſignificantis , ut teſtatur P. Intorcetta pag.* 31. (*in manuſcripto*) *in nota* 7. *circa literam* Focieu: *Non modò enim* , inquit , *fauſtum vinum vocant nuptiarum , vel conviviorum vinum ; ſed in mutuis officiis paſſim* fo *literam adhibent . Ut enim hoſpitem inviſunt , ſtatim petunt* Nâ fo , *ut benè illi omnia acciderint. Cùm item vident amicum benè valere , dicunt* fo yum , *ideſt , eum habere felicem fauſtumque vultum* : *& in aliis ſexcentis ritibus , ac cæremoniis* fò *litteram adhibent.*

§. 196. En quàm ſæpe in loco tam brevi Jeſuitæ expreſſerant literam *fò* ſignificare apud Sinàs , *fauſtitatem , bonum ſtatum , felicitatem.* Ex quo certè loco ſatis colligi poteſt , eos qui oppoſitum Jeſuitis imputarunt ex ipſorum Expoſitione Facti , quamvis veritati quærendæ multum incuberint , videri tamen ſuis præjudiciis multùm impeditos, quominus omnem ex utraque par-

 te

te veritatem in multis animadverterent.

§. 197. Itaque non hoc nunc agitur: utrum vox Sinica *fo* ſignificet etiam *fortunam*, *beatitudinem*, *felicitatem* apud Sinas, ſed in quo ſenſu eam ſignificet, in locis adductis: ac poſito quòd veram aliquando beatitudinem, ſeu felicitatem ſignificet; an illa ex intentione Sinarum petatur, aut ſperetur in ſuis oblationibus, à Confucio, & Progenitoribus; an ab alia cauſa Superiori? Quæ omnia declaravit P. Intorcetta in ſuo Tractatu de Cultu Sinenſium nuper impreſſo Nota 7. pag. 75. itemque nota 15. pag. 101. Undè facile erit reſpondere ad ea, quæ ab Adverſariis producta ſunt.

§. 198. Nam ad ea, quæ primo loco ab Adverſariis adducta ſunt ex P. Varo, de ſignificatione vocis *fo* in *Tamin hoēy tien*, fatentur quidem PP. Societatis ter ibi inveniri *focieu*, ac per hanc vocem ſignificari fortunatum, ſeu

fau-

fauſtum vinum, uti jam expreſſum ab ipſis fuerat in ſua Expoſitione Facti, ubi verba Sinica *yn ſo cieu*, ità reipſa reddiderant: *bibite, aut bibant fauſtum vinum*. At negant omninò ibidem reperiri alias illas voces, ſeu orationes, & collectas à P. Fr. Varo adductas, uti conſtare poterit ex lectione Conſtitutionum Imperialium, quæ pertinent ad cultum Confucii in *Tamin hoey tien*, apud P. Intorcettam, tum in manuſcripto originali, quod extat in Archivio Romano Societatis, tum in libro impreſſo pag. 64. ubi ſolùm invenitur, quòd poſt finitam oblationem, Magiſter dicit *yn ſo cieu bibite fauſtum vinum*, & pag. 64. in fine ſolùm habetur: *li piē*; id eſt: *cæremoniæ ſunt completæ*: nulla facta mentione, nec de penultima, nec de ultima collecta, ſeu oratione ad Confucium directa, quæ ex Varo productæ ſunt. Quæ ſanè collectæ, ſeu orationes, ſi reipſa in eo Rituali, ſeu libro Sinico extarent, non videtur Illu-

ſtriſſimus D. à Leoniſſa illas prætermiſſurus fuiſſe, ut qui alia longè minora, & longè magis remota, & aliena à præſentibus quæſtionibus, poſt magnam rei hujus inquiſitionem, non prætermiſit.

§. 199. Hinc nec difficiliùs reſpondetur ad ea, quæ ſecundo loco adducta ſunt ex Relatione illa fictitia PP. Dominicanorum, quæ extat in ipſorum Apologia, & quæ nuſpiam alibi extitit in rerum natura; uti conſtat ex Tractatu, cui titulus: *Monumenta Sinica, &c.* Nimirum nihil eorum, quæ ibi adducta ſunt, reperitur in *Tamin hoey tien*, præter hæc pauca verba: *yu focieu*, *bibite*, aut *bibant fauſtum vinum*; uti jam declaratum eſt. Certè, ut dicatur quod res eſt, videntur omninò iſti Textuum Sinicorum jactatores, duas illas ſuas collectas, ſeu orationes ad Confucium, compoſuiſſe ex vocibus quibuſdam malè intellectis, quæ reperiuntur in *li Ki*.

§. 200. Nam Priorem quidem ap-

apparet compoſitam fuiſſe ex illis vocibus, quæ reperiuntur in *li Ki citum* parte 8. fol. 62. apud Intorcettam in Tractatu impreſſo pag. 101. ubi ita legitur: *Hien che chi, ci ye pie xeu. Ki fo*: cujus ſententiæ loco illi per corruptionem poſuere: *Hien King pie fo*, retentis prima, & ultima literis cum una intermedia: atque altera ex intermediis depravata, eſt autem ſenſus vocum illarum apud P. Intorcettam: *Sapientum virorum oblationes certè quidem obtinent ſuam felicitatem*: At pergit Textus Sinicus apud eumdem Intorcettam: *Hæc autem non illa eſt, quam ſæculi hujus filii vocant felicitatem. Felicitas eſt rerum promptitudo: promptitudo eſt omnium rerum actionumque ſecundarum appellatio, ac nomen &c.*

§. 201. Poſteriorem verò collectam ad Confucium, appellavere Adverſarii verba quædam ab ipſo Confucio prolata, quæ extant in *li Ki*, parte 5. fol. 13. apud eumdem Intorcettam pag. 104. in fine: ubi ita le-

legitur: *cùm cu yue , ngo Chen ce Ki; Ci ce xeu fo , cai te Ki tao y.* Nam hic vedes in medio voces illas, quas Adverſarii pro oratione ad Confucium ſuppoſuere: nempe *Ci ce xeu fo*; ſive ut ipſi ſcribunt *Chi che xieu fo*: ſed audiamus explicationem literalem hujus loci, quem quidem, ait ibidem P. Intorcetta, aliquos Europeorum malè interpretatos quondam fuiſſe: & talis eſt: *Confucius ajebat: cùm ego milito, ſtatim vinco; cùm offero Progenitoribus munera, ſtatim obtineo felicitatem, quia obtineo tum ipſius militiæ, tum ipſius oblationis legem, ac regulam.*

§. 202. Tum ſubdit P. Intorcetta pag. 105. *Interpres clariùs id exponit dicens*: fu cu ſo y nêm cû lh chè, cài y te *Ki* him Chi tao ye: ideſt *Confucius ideò ajebat ſe potentem fuiſſe in illis duobus, ſive obtinuiſſe illa duo, victoriam ſcilicet in militari exercitio, & felicitatem in oblationibus defunctorum; quia inde obtinebat earum operationum vir-*

virtutem, ſeu regulas.

§. 203. *Hic idem locus*, pergit idem Intorcetta *iiſdem verbis invenitur in eodem libro* li *Ki*, *Kiaõ* te ſem *par.* 5. *fol.* 33. *quem ibidem Interpres exponens ſic ait* : y chèn cè, ſie min yũ pien ye ; y ci ce xeu ſo hoe Sem y li hie ; hoc eſt : *verba illa textus* ; cùm militaret, tunc vincebat ; *indicant quòd exercebat populum in mutationibus, ſeu exercitiis militaribus* ; *ut ſcilicet ad nutum Ducis nunc ſiſterent, nunc currerent, nunc ad dexteram, nunc ad ſiniſtram declinarent, &c. Adeoque militiæ regulas ſervarent, quibus victoria obtinetur. Verba autem illa* : cùm offerret, tunc obtinebat felicitatem, *indicant, quòd obtinebat oblationem, vel animal offerendum juxtà ea omnia, quæ ritus præſcribunt : hoc eſt, ejus felicitas conſiſtebat in ſervandis ritibus, ac virtutibus, cùm offerret munera Progenitoribus, &c.*

§. 204. *Nota*, inquit P. Intorcetta paulò inferius, pag. 106. *nos hìc*

non

Dominicanorum ſupponatur miſſa fuiſſe ex China anno 1661., quo tempore Navarreta, & Varus, qui ſunt inter ſubſcriptos, vix Chinam attigerant; par erat ut duo iſti Authores, quibus ignota ea Relatio eſſe non poterat, ſumerent ex ea verſionem ſuarum illarum collectarum, quam insererent Tractatibus à ſe poſtea compoſitis, aut rationem aliquam afferrent ſuæ mutationis. Neque veriſimile eſt fuiſſe illos quidquam ex tali verſione detracturos, quò illam quoquo modo infirmarent, ſed potiùs addituros, ut majorem inde horrorem ritibus à ſe impugnatis conciliarent. Cùm ergo res omnino aliter ſe habeat, ſignum eſt ejuſmodi Relationem fuiſſe omnino incognitam Varo, & Navarretæ, ac proinde eſſe ſuppoſitam. His adde quòd *li ki*, qui eſt titulus libri Ritualis Sinici, confunditur in illa Relatione cum *Li pu*, quod eſt nomen Tribunalis Rituum apud Sinas; & quòd tamen in ea relatione ſit pars libri *Tamin hoèy tien* appel-

pellati: arte nimirum Cenſarcinatoribus non infrequenti.

§. 206. Quod ſpectat ad illa, quæ tertio loco adducta ſunt ex libro *Xi King* per P. Fr. Varum, quatenus loquuntur de adventu ſpirituum, & de beneficiis per illos collatis, ſatis reſponſum videtur ſuprà §. 100. ex P. Philippuccio in explicatione 37. Textuum. Quibus adde illa quæ dicit idem ibidem ad tertium, ubi agitur de Textu quodam ſimili, eruto ex illo libro *Xi King*: in hunc ſcilicet modum.

§. 207. *Prima vice*, inquit P. Philippuccius, *qua in hoc textu nominatur* fò, *id eſt*, felicitas, *juxta Commẽtatorem* Hoam *explicatur* tien ſu, beneficia Cæli. *Secunda vice*, *qua idem verbum* fò *nominatur*, *&* *applicatur* Cheu cum, *dicit idem Commentator ſequentia* . . . .
. . . .
Id eſt, hîc fò eſt locutio varia, quæ nihil ſignificat, & eſt pura Cæremonia.

§. 208. *Ut tamen videatur*, ſubdit

dit P. Philippuccius, *quàm parvi faciendus ſit modus loquendi præſentis textus, & ſimilium; legatur tota iſta Oda* Xitum, *& invenietur hanc compoſitionem poeticam, factam fuiſſe in occaſione reparationis cujuſdam aulæ defunctorum. Author autem poeſeos, totus effunditur infauſtas acclamationes, & deſideria felicitatum etiam impoſſibilium. Videatur Oda, & Commentum, quæ omittimus, quia longa ſunt. Quomodo fieri poteſt, ut ex iſtis amplificationibus, & adulationibus poeticis, eruamus ſerium, & verum ſenſum quæſtionis, quam controvertimus? In noſtra Europa decideremus ne quæſtiones adeo graves ex dictis Rhetorum, & Poetarum?*

§. 209. Accedit quod habet idem P. Philippuccius in eodem Tractatu ad Textum 12. *Admiratione dignum eſt*, inquit, *quòd adducatur hic textus ad probandum oblationes defunctis factas, ſecum trahere proſperitates, quæ explicentur cum littera* fò: *Cum dicat idem Textus, quòd illa*

illa littera ibi non ſignificet proſperitates, aut felicitates, ſed perfectionem in agendis talibus oblationibus. *Textus hoc explicat variis exemplis, quæ non referuntur ab eo qui hunc Textum citavit*.

§. 210. Tùm in Reſponſione ad textum 23. hæc habet idem P. Philippuccius: *Reſpondetur literam* fò *debere hîc explicari non per felicitatem, ſed per ritus perfectionem, ut explicatum eſt per textum duodecimum ſuprà relatum. Commentum hujus loci id ita explicat dicens*: Fa Kia, *ſignificat idem quod* ta Ciam *prout explicatur in ſecundo paragrapho antecedenti ad præſens Capitulum, & illic explicatur littera* Ciam *per litteram* Xim, *quæ ſignificat bonum, ac perfectum, & non ſignificat felicitatem. Videatur Reſponſio ad 36. ubi hoc meliùs explicatur*.

§. 211. Ac deinde in ea Reſponſione ad textum 36. ſic habet P.Philippuccius num. 3. *Quoad concluſionem præſentis Textus, quæ dicit* Xi guey Chim, tien Chi hu. *Adnotatum*

tum Adverſariorum *ita explicat, hoc eſſe recipere cæleſte auxilium, favores, & proſperitates Cæleſtes: Sed prædictæ literæ hoc non ſignificant. Litera* Hû *videtur ſimilis, ſed eſt diverſa à litera* yeu, *quæ ſignificat auxilium. Litera* hu *habet ſignificationem literæ* fò, *& ambæ in hoc loco ſignificant* perfectionem, aut opus perfectum, *ut dictum eſt de litera* fò *ad Adnotatum* 12. *&* 23. *Ideo præſens textus hoc dicit*: præparatis, & diſpoſitis omnibus relatis in dictis functionibus, totum manet diſpoſitum, & diſtributum per ordinem ſuum cum perfectione Cæleſti. *Hæc explicatio videbitur dura, & violenta, ſed hic eſt modus loquendi Sinicus, non abſimilis noſtro Europæo, quando dicimus, hæc res eſt Divina, Divinus Plato &c.*

§. 212. *Hoc confirmatur*, pergit idem, *ex uno loco* §. *immediatè ſequentis textus de quo agimus capitis* li yun, *ubi cum agitur de variis ritibus ſimilibus, in fine concludit* . . . .

Hoc eſt: *Id vocatur* tà Ciam, *ideſt, ut ait Commentarius* Ciam yeu xen ye opus valde bonum, & perfectum, & magna perfectio hujus ritûs. *Animadvertatur littera* Ciam, *quæ etſi communiter ſignificet proſperitatem, & felicitatem, ſicuti littera* fò *&* hù: *Nihilominus hìc omnes tres ſignificant* perfectionem, opus bonum, & perfectum. *Animadvertendum etiam litteram* tien, *etſi vulgariter ſignificet* Cælum, *ſignificare etiam* magnum, *ut ait* Chim Cu tùm *in explicatione literæ* ngo. *Videatur ſuprà textus 23., & illius explicatio præſenti ſimilis.*

§. 213. Ex his autem omnibus, ſcilicet à P. Philippuccio antiquo, & docto, & accurato Miſſionario Sinenſi productis liquet, & quid à Sinis intelligatur per literam *fò*, & quid illi ſibi velint cum ſuis illis expreſſionibus precandi, vel obtinendi felicitates, & ſimilia, quæ num. illo tertio continentur; & quàm debilia ſint fundamenta ab adverſariis per abuſum textuum Sinicorum poſita;

ſita ; quibus utique non videntur Decreta Romana tutò fundari poſſe.

§. 214. Ad quartum de Oratione illa, quæ dicitur eſſe in Cæremoniali *Kiali* ſatis reſponſum eſſe videtur ſupra, ſcilicet, §. 101. ubi relatum eſt, quod ſuper hoc habet P. Philippuccius in Tractatu cujus titulus eſt *Explicatio* 37. *Textuum*, ad quartum.

§. 215. Ad quintum de redargutione PP. Brancati, & Fabri per Varum facta, conſtat ex iis, quæ paulò ante adducta ſunt ex PP. Intorcetta, & Philippuccio, quàm malè facta illa ſit à P. Fr. Varo, neſciente ſcilicet, quàm varia ſit ſignificatio vocis Sinicæ *fò*, & quàm varia acceptio felicitatis per illam vocem ſignificatæ, juxta declarationem paulò ante deſcriptam.

§. 216. Ad ſextum denique de explicata à KirKero per felicitatem litera *fò*, patet quàm vanus & inutilis fuerit labor illius, qui talem in ſcriptis *Kirkeri* faciendam ſibi perquiſitionem exiſtimavit ; Cum

nemo unquam negaverit literâ *fò* apud Sinas etiam felicitatem ſignificari. Sed quod negatum eſt à Jeſuitis, iſtud eſt: nimirum per illam vocem ſemper ſignificari felicitatem; & in oblationibus Confucii etiam ſolennibus, quales fusè deſcriptæ ſunt in *Tamin hoèy tien*, *aliquam extare promiſſionem felicitatis literâ fò ſignificatæ*; *idque præſertim ob ſacrificium bene peractum*, *aut ab ſpiritu*, *vel ex merito Confucii*; uti aſſertum fuerat ab Adverſariis, & cujus contrarium ex ipſo *Tamin hoèy tien* demonſtratum eſt, atque iterum magis demonſtrabitur in examine dubii ſequentis.

DUBIUM IX.

An Sinæ aliquid petant, vel ſperent à Confucio?

§. 217. PRimo fatentur Adverſarii non poſſe ex libris antiquis Sinarum afferri aliquam ſpecialem authoritatem, qua id probetur.

betur. Attamen primo ajunt adduci poſſe quemdam locum ex Conſtitutione Imperatoris *Kiacim*, in quo juxta interpretationem Reverendiſs. à Leoniſſa continetur oratio ad Confucium deprecativa.

§. 218. Secundo adducunt Conventum Kiatinenſem à Jeſuitis habitum an. 1628. apud Navarretam tom. 2. pag. 113. Ubi dicitur *Communem eſſe omnium opinionem, ac veluti trito apud vulgum adagio ferri, Juvenes qui majori ſtudio, ac ſedulitate hæc officia (ſcilicet venerationis erga Confucium) perſolverint, in Regno tùm literarum, tùm adminiſtrationis politicæ laude præſtantes eſſe evaſuros*. Quanquam ibidem immediatè ante aſſeritur, quod ille à quo habuerunt Relationem de Cæremoniis Confucianis, ignorabat an publicè, vel privatim Sinæ à Confucio aliquid peterent, vel ſperarent.

§. 219. Tertio ajunt ſe poſſe tàm pro hoc, quàm pro præcedenti dubio adducere aliquas authoritates ex

 libris

libris Sinicis, in quibus generaliter de oblatione *Ci* aſſeritur quòd per eam bona, & felicitates obtineantur, petanturque. Sed hæ authoritates, *inquiunt*, commodiùs adducentur infra in alio dubio.

§. 220. Quarto. Afferunt Dominum à Leoniſſa qui in Reſp. ad Sac. Cong. Partic. in fine quarti puncti, poſtquam dixit raram, aut nullam eſſe oblationem ſoli Confucio factam, in ejus æde, in qua poſtuletur ab illo directè bonum ullum: ſubjungit tamen quòd ſit certum felicitates promitti offerentibus cum perfectione; ſicut conſtat, *inquit*, ex Ritualibus: Similiter quòd ſit certum nomine ſpiritus, cui offertur, annunciari bona, & felicitates offerentibus, & aſſiſtentibus.

§. 221. Reſpondent hîc ante omnia PP. Societatis videri ſibi omninò, quæ hoc capite Adverſarii ſui proferunt, ac confitentur, talia eſſe ut poſſint eſſe inſtar demonſtrationis ad probandum oppoſitum illorum intentioni: nempe ad probandum

dum nihil omnino peti, nec ſperari à Confucio in oblationibus, quæ illi fiunt; ac proinde ejuſmodi oblationes nihil habere religioſi; cum non dirigantur ad agnoſcendam in Confucio mortuo ſuperſtitem ullam poteſtatem. Quomodo enim fieri poſſet, ut peteretur, & ſperaretur aliquid à Confucio in ſolemnibus ejus oblationibus à tanto tempore celebratis, quin expreſſa aliqua mentio de petendo, aut ſperando inveniretur in antiquis Sinarum libris, quibus cæteroqui notum eſt minutiſſimos quoſque ritus ad illas pertinentes deſcriptos eſſe. Et tamen illud eſt, quod Adverſarii confitentur, nimirum de hoc nihil haberi in antiquis Sinarum libris; uti ex ipſis paulò ante relatum eſt. Id quod etiam magis confirmari poteſt ex iis, quæ afferre conantur ad probandum id quod intendunt.

§. 222. Nam ad primum de oratione illa deprecativa Confucii, quæ dicitur extare in Conſtitutione Imperatoris *Kiacim* ex interpretatione

Domini à Leoniſſa: contra eſt; quia præter interpretationem contrariam PP. Brancati & Intorcettæ, quæ relata eſt in Expoſitione facti PP. Societatis, & quam certè nemo negaverit æquivalere ſaltem debere, ne dicam prævalere priori illi interpretationi: præter hoc, inquam, contra eſt; quia nihil mirum foret ſi Imperator impensè deditus Bonziorum ſomniis, & ſupplicationibus (qualis repræſentatur iſte *Kiacim* in Sinica Chronologia ad an. Chriſti 1550.) feciſſet quaſi ex propria, & privata devotione, ſeu potius ſuperſtitione talem quampiam Orationem erga Confucium. Verùm tantùm abeſt, ut id probaret, communem Gentis morem, ac ritum eſſe ejuſmodi, ut probaret potiùs oppoſitum; cum referatur tanquam aliquid proprium ejus Imperatoris: cum & aliunde ſciatur Imperii Sinici Primates iteratis libellis apud eumdem Imperatorem contendiſſe eliminandas penitus binas ſectas *Foè* & *lao* Kiun, *id eſt*, idololatrarum; eumque anti-

quam

quam renovaſſe legem circa titulum Confucii, quem quidem non alium voluit eſſe quam *Sien ſu, hoc eſt*, Magiſtri vitâ functi; ac vetuiſſe insuper ejuſdem ſtatuas conflari, ſola tabella memorativa permiſſa, uti refertur in citata tabula Chronologica. Ita ſcilicet voluit hic Imperator cavere, ne Confucius tanquam unus quidam è Divis, ſeu Idolis Sinenſibus haberetur, nedum idololatricum ejus cultum ſtatuere.

§. 223. Ad ſecundum de Conventu Kiatinenſi Jeſuitarum, unius Navarretæ fide nixo, nemo prudens creditur fore, qui multum laboret, aut curet; ubi præſertim viderit, quæ de hoc à Jeſuitis alibi fusè, & ex profeſſo dicuntur, ſcilicet in opere nuper impreſſo, cujus Titulus eſt: *Monumenta Sinica &c.* Interim verò quæ ſpecies, ac ratio conventus faciendi repræſentatur hoc loco à Navarreta, dum inducit homines ibi convenientes ad pronunciandum ſuper cultu Confucii, qui tamen informationes ſuas petant ab ho-

homine ignorante , an publicè , vel privatim Sinæ aliquid à Confucio peterent , vel ſperarent . An deerant in China homines doctiores , qui de re tam familiari , tamque obvia interrogantibus reſponderent &c.

§. 224. Ad tertium de authoritatibus adducendis pro petitionibus felicitatum in oblatione *Ci* dicta , conſtat jam ſatis ex ſupradictis variis in locis : & magis etiam ex dicendis conſtabit , quàm parum faciant ad probandum Sinas petere , aut ſperare quidquam à Confucio in ſuis ad illum oblationibus ; ubi ſcilicet authoritates illæ fuerint adductæ .

§. 225. Ad quartum de dictis Domini à Leoniſſa , jam indicarunt PP. Societatis in ſua Expoſitione facti , videri ſibi illum pugnantia loqui in illis Reſponſis ſuis ad S. C. P. , dum ſcilicet dicit ex una parte non eſſe certum , quòd aſſeruerat P. Fr. de Morales Dominicanus ; ſcilicet quòd oblationes Confucio factæ dirigantur ad obtinendam ex ipſius me-

meritis optimi ingenii felicitatem; quia multi Doctores Sinenſes declarant ejuſmodi oblationes fieri in ſignum gratitudinis tantùm. *Non è tutto così certo, & univerſale, come eſſo l'aſſeriſce, & è certo, che molti de Dottori Chineſi dichiarano, che ſimili offerte ſi fanno in ſegno di gratitudine, e non per altro.* At nihilominus ex altera parte dixit idem Dominus à Leoniſſa, quòd nunc ex ipſo refertur: *E' certo però che ſi promettono felicità à quelli, che offeriſcono con perfettione, come conſta da medeſimi Rituali: E' certo anche, che à nome del ſpirito à cui l'offeriſce, s'augurano beni e felicità à gl'oblatori, & Aſſiſtenti, da uno de Maeſtri di Ceremonie.* In hoc ſcilicet ajunt PP. Societatis videri aliquam ineſſe contradictionem: *Eſt certum; non eſt certum &c.* Nam ſi eſt certum, quòd promittantur felicitates rite offerentibus, & quòd illæ promittantur nomine Spiritus Confucii ex præſcripto Ritualium Sinenſium, ut hîc dicit Dominus à

Leo-

Leoniſſa, quomodo poteſt non eſſe certum, quòd illæ oblationes non fiant in ſignum gratitudinis *tantùm*. Quaſi verò pro certo habeant Sinæ ex vi ſuorum Ritualium promitti ſibi felicitates tanquam præmium ſuarum oblationum nomine ſpiritus Confucii, ſeu ab illo aut ex eius meritis impetrandas ; & illas tamen faciant in ſignum gratitudinis tantùm, *in ſegno di gratitudine e non per altro*: abſque ullo prorſus intuitu & expectatione retributionis ſibi promiſſæ.

§. 226. Præterea verò negarunt PP. Societatis in ſua Expoſitione facti, quod & iterum negant, ſcilicet extare in Ritualibus Sinicis talem promiſſionem felicitatum nomine Spiritus Confucii factam pro oblationibus Confucianis : Neque Dominus à Leoniſſa qui id aſſeruerat in ſuis Reſp. ad S. C. P. potuit id hactenus oſtendere, tametſi expoſitionem facti ipſum ad hoc invitantem præ manibus habuerit.

§. 227. Atque hîc etiam intueri licet

licet vagum illum & incertum loquendi modum eidem tam familiarem: *ſe tutta via*, inquit, *nella pratica ci ſia altro, ò nò, non poſſo darne certa notitia, e ſe ci è, non è rito univerſale, e commune*: Ideſt. *utrum tamen aliud ſit in praxi nec ne, certò dicere non poſſum: & ſi ita eſt, non eſt ritus univerſalis, & communis.*

DUBIUM X.

An ædes & vaſa pro ritibus erga Progenitores defunctos ſanguine conſecrentur, ubi de conſecratione ædium Confucii.

§. 228. PRimò. Afferunt Adverſarii quod habet P. Fr. Varo pag. 54. ubi ſcilicet poſtquam dixit ædes, quæ dedicatæ ſunt Regiis Progenitoribus, juxta leges debere eſſe ſeptem, & *miao* appellari; eoque etiam nomine appellari omnes ædes ſive

ſive Reguloium ſive aliorum dicatas propriis Progenitoribus : inde infert debere omnes ſimili modo conſecrari. Tum fusè deſcribit iſtarum ædium dedicationem ſive quaſi conſecrationem per ſanguinem : eamque dicit contineri in *liki*, tom. 3. cap. *Cho Ky hia*, fol. 11. & 12. At fatetur idem P. Fr. Varo, quod in cæremoniali *Kiali* non agitur de iſto puncto quo ad Aulas à vaſſallis dicatas propriis Progenitoribus. Tum fatentur Adverſarii ſe nihil inveniſſe particulare apud Varum de iſta conſecratione ædium Confucii.

§. 229. Secundo. Adducitur Reverendiſſimus à Leoniſſa, qui in Reſponſ. ad S. C. P. ad quintum dixit quòd in Ritualibus Sinenſibus, Aulę quæ vocantur *miao* quaſi conſecrantur sanguine, atque ibi generaliter loquitur de omnibus Aulis vocatis *miao*, & non reſtrictè ad illas quæ ſunt dicatæ Progenitoribus Regiis apud Sinas relatis in numina; ad quam reſtrictionem recurrunt PP. Societatis. Ideinque in Reſponſ. ad

Puncta

Puncta Eminentiſſimi Cardinalis Caſanatæ, ad 30. dixit ædes Confucii pari modo quaſi conſecrari, ac de uſu talis conſecrationis teſtatus eſt.

§. 230. Tertio. Adducitur iterum P. F. Varo dicens vaſa deſtinata ritibus erga Progenitores defunctos eſſe conſecranda ſanguine ex libro claſſico *liki* tom. 3. cap. *Cho Ky Kia* fol. 12. ubi dicitur quod ubi facta ſunt inſtrumenta principalia pro oblationibus Progenitorum, ungi debent ſanguine porci: & Commentum dicit quòd hoc pertinet ad venerationem dictorum Inſtrumentorum.

§. 231. Quartò. Dicunt Adverſarii ſe nihil aliud huc uſque inveniſſe circa iſtam quaſi conſecrationem vaſorum ſed plura inveniſſe circa venerationem dictis vaſis debitam. Atque huc afferunt Varum dicentem in cæremoniali *Kialy* præſcribi ut omnia inſtrumenta pertinentia ad oblationes Progenitorum quorumcumque conſerventur in camera obſerata, de habeant alium uſum.

§. 232.

§. 232. Quinto. Proferunt ex eodem P. Fr. Varo, varia loca libri *liki*: ut quod tom. 1. cap. *Kio ly Hia* habetur, quod ante fieri debeant inſtrumenta deservientia oblationibus defunctorum, quàm alia quæ uſui domus eſſe debent; & quòd nunquam vendi debent; & quòd ſi vel fracta, vel vetuſta fuerint, ſepeliantur; quam etiam authoritatem ajunt adduci à Navarreta pag. 160. Sed abſque citatione loci. Item quod in *liki* Tom. 1. cap. *vuang. Chi* fol. 15. dicitur quòd inſtrumenta dictis oblationibus deſtinata vendi non debeant; ubi Commentator dicit, quòd ſi fiat, eſt irreverentia. & Tom. 2. cap. *Kiao te ſeng.* fol. 10. quòd reſpectus debitus Aulis defunctorum, & gravitas ipſarum non permittunt, ut in eis homines quieſcant aut morentur; & quòd inſtrumenta, quæ in dictis Aulis deſerviunt, habeant alium uſum. Cuius ratio ibi aſſignatur, quia prædicta loca & inſtrumenta determinata ſunt ad communicandum & tractandum cum

cum claris ſpiritibus, *ideſt*, animabus defunctorum.

§. 233. Sextò. Denique Adducunt Navarretam pag. 148. n. 4. proferentem alias authoritates conſimiles ex *Kialy* fol. 39. tum pag. 161. n. 3. ex *Chuuen Kung*. quem Authorem claſsicum vocat.

§. 234. Reſpondent PP. Societatis de iſta cæremonia conſecrationis ædium Confucii cum ſanguine, quod jam ſupra notarunt, de eiuſmodi cæremoniis exoticis, quas Adverſarii Sinis Romæ attribuere conantur ex libris Sinicis, ac per quaſdam ſolùm argumentatiores. Reſpondent, inquam, quòd ſi cæremonia iſta verè apud Sinas in uſu eſſet, quo ad ædes Confucii & Progenitorum de quibus agitur; nihil facilius fuiſſet quàm id ipſum cognoſcere ex relatione ac teſtimonio ſinenſium, non ſolùm literatorum & doctorum, ſed etiam illiteratorum ac rudium quorumcumque. Neque ea latere potuiſſet viginti tres Patres cetus Cantonienſis, in quo examinatæ ſunt cæ-

remoniæ confucianæ; præſertim cum inter illos præſens adeſſet P. Fr. Navarrete, qui nihil non movebat, ut illarum turpitudinem exhiberet, & qui tamen nihil tunc de hac cæremonia obiecit; ut liquet ex ſcriptis PP. Brancati & Intorcettæ ad omnia ejus dicta ſingillatim reſpondentium.

§. 235. Atque eò nunc additur ipſa declaratio, quam faciunt Adverſarii: nimirum, quòd apud P. Fr. Varum nihil particulare invenerint de iſta conſecratione ædium Confucii. Tùm additur ipſa etiam confeſſio P. F. Vari dicentis in *Cæremoniali Kiali non agi de iſto puncto quoad Aulas à Vaſſallis dicatas propriis Progenitoribus*. Nam cum Cæremoniale *Kiali*, ſit Rituale velut uſuale, ac practicum, continens omnia, quæ fiunt, licet non fiant omnia, quæ continet; hoc ipſo quòd nihil habeat de iſta Cæremonia, ſignum eſt evidentiſſimum, quòd ea in Sinis minimè ſit in uſu, juxta obſervationem ex P. Philippuccio adductam ſupra, ſcilicet §. (58.)

quod

quod & magis conſtabit reſpondendo ad ſingula ab Adverſariis huc adducta.

§. 236. Nam ad primum quidquid ſit de numero illo ædium Regiis Progenitoribus dedicatarum, ac de nomine *Miao* olim impoſito defunctorum Aulis, conſtat nunc Aulas defunctorum communiter appellari non *miao*, ſed *cù tang*; ùti videri poteſt apud P. Intorcettam nota 14. pag. 99., & in ipſis quæſitis P. Martinii in Decreto anni 1656., itèmque in Reſponſ. Illuſtriſsimi à Leoniſſa ad S. C. P. ad 5. punctum, ubi ita loquitur: *Di più ciaſcuna famiglia honorata e commoda dell'Imperio hà per i ſuoi Progenitori defunti luogo determinato, qual non ſi chiama* miao, *mà* chù tang: *Ideſt: Præterea quælibet Imperii familia honorata, & commoda habet pro ſuis Progenitoribus defunctis locum determinatum, qui non appellatur* miao, *ſed* chù tang. Ecce quàm doctus ſit P. Fr. Varo in rebus Sinicis, de quibus ſcribit,

ut qui neſciat, vel proprium illarum nomen.

§. 237. Verùm ut veniatur ad id quod eſt præcipuum in hoc puncto: Reſpondetur ex P. Philippuccio; qui in ſpeciali Tractatu, cui Titulus eſt: *Adnotationes ſuper lyki*, ita habet: *Commentator* Chim *in tomo* 3. *pag.* 16. *facie* 2. *Commentarii* LiKi, *loquitur generaliter de toto libro, & ita dicit* . . . .
Id eſt, *Plures ritus* lyKi *prodierunt mixtim ex Hiſtoricis, & Commentatoribus*: Qua ſcilicet ratione indicatur, nullius eſſe apud Sinas authoritatis, quæ continentur tomo illo tertio liKi; ex quo P. Fr. Varo dicit ſe extraxiſſe ſuam deſcriptionem conſecrationis per ſanguinem veterum illarum ædium *miao* appellatarum: ſed haberi illa tanquam fabulas, ac figmenta hominum ocioſorum; aut ad ſummum tanquam inventa quorumdam ſectariorum; minimè verò tanquam germanam literatorum doctrinam. De quo etiam plura paulò poſt in Reſponſione ad tertium. §.238.

§. 238. Ad ſecundum ex D. à Leoniſſa deſumptum: Reſpondetur, illud minorem adhuc fidem mereri, utpote vagè, & ambiguè, ut ſolet, ac ſine ulla certa authoritatis Sinenſis aſſignatione prolatum. Quod ut clarum fiat, juvat hîc apponere illius verba: Nimirum in Reſp. ad S. C. P. ad 5. Punct. poſteaquam dixit Aulas Progenitorum defunctorum non vocari *miao*, ſed *Cu tang*, ita ſubdit: *Quelli luoghi, che hanno il nome di* miao, *conforme preſcrivono i Rituali Chineſi, ſon quaſi conſacrati con il ſangue d animali, come hò detto trattando del Tempio di Confuſio: quelli che ſon chiamati* chû tang, *non mi conſta, che ſiano dedicati con tal cerimonia, perche i tempi han variato molte ceremonie; e nel Rituale* Kiali *dove ſi parla di detti* Chû tang *non ſi fà mentione di detta cerimonia.*

§. 239. Vides hîc Dominum à Leoniſſa dicere loca illa quæ *miao* appellantur conſecrari, cum ſanguine animalium; ſed non aliter id pro-

bare, quam citando Ritualia Sinica vagè, & confusè; quaſi timeret de falſitate convinci, ſi locum aliquem particularem appellaſſet. Vides & illum remittere ſe ad ea, quæ dicit de Templo Confucii, ſcilicet ibidem ad 4. Punctum; quaſi cæremoniam hanc meliùs ibi probaſſet. At ecce ibi eodem prorſus modo loquitur: *Queſto*, inquit, *quando ſi fabrica, conforme à quello ſi preſcrive, nelli* Rituali Chineſi, *ſi dedica, ò in un certo modo conſacra col ſangue d'animali, che poi s'offeriſcono*. Nimirum & hîc recurrit ad ſua Ritualia Sinica generatim, ac vagè ſumpta, neque id tantùm: Nam quia fieri poterat, ut de æde Confucii nulla ibi ſpecialis mentio inveniretur, uti nulla reipſa inveniri poteſt; recurrit iterum Dominus à Leoniſſa ibidem ad aliquid generale, ſub quo per aliquam ſaltem conſequentiam comprehendi poſſit ædes Confucii: idque etiam cum ſolita fluctuatione. Ita enim pergit: *Queſta ceremonia s'uſa, conforme à quel-*

lo ſi dice nell'iſteſsi Rituali, *nella dedicatione de Tempii, che l'Imperatori, & altri Magnati fabricano alli loro progenitori*; almeno quelli che hanno il titolo di miao. Ac mirabili demum exitu rem totam concludit: *Se poi detta Cerimonia adeſſo s'uſa univerſalmente non lo sò; è certo che anticamente s'uſava, come hò riferito*.

§. 240. Ex hac ſaltem tam ingenua confeſſione Domini à Leoniſſa declarantis ſe neſcire utrum illa Cæremonia conſecrandi loca *miao* dicta per ſanguinem animalium, ſit universè in uſu; apparet quàm incerta ſit fides Adverſariorum dicentium eumdem D. à Leoniſſa *teſtatum eſſe* de uſu talis conſecrationis ædis Confucianæ in Reſponſ. ad Punctum 30. Eminentiſſimi Cardinalis Caſanatæ: niſi velint Dominum à Leoniſſa uno in loco teſtari tanquam verum, quod alio in loco declarat à ſe ignorari: *Se poi detta ceremonia adeſſo s'uſa univerſalmente, non lo sò &c.*

§. 241. Ad tertium de Conſecratione Vaſorum Reſpondetur patere,

 quàm

quàm frivolum illud ſit, ex dictis §. 234. & ſequ. de Conſecratione Aularum *miao* nominatarum; cùm utrumque eàdem prorſus authoritate, ſeu potius inanitate unius cujuſdam Textus à Varo obtruſi innitatur: accedente ad id propria Adverſariorum confeſſione dicentium, uti expreſſum fuit num. 4. Se nihil aliud huc uſque inveniſſe circa iſtam quaſi conſecrationem Vaſorum; ne in ipſo quidem, toties decantato, Cæremoniali *Kialy*; quod cùm habeatur velut uſuale, ac practicum Rituale Imperii Sinici, non omiſiſſet Cæremoniam tam inſignem tamque notabilem, ſi ea verè in uſu foret; ubi præſertim aſſeritur tot alia tàm minutè præſcribere circa ejuſmodi vaſa, ſeu inſtrumenta.

§. 242. Ad quartum de veneratione horum inſtrumentorum præſcripta, ut dicitur, in Cæremoniali *Kialy* itemque in *liki*: Reſpondetur, ſi verum illud ſit, nihil eſſe mirum in gente tot tantiſque ritibus addicta, tamque ſtudioſa reverentiæ Paren-

rentibus debitæ; uti videri poterit apud Trigautium lib. 1. cap. 7. Sed quæſtio eſt utrùm ea veneratio pro ſacra, ac religioſa haberi debeat: id quod ita eſſe nemo certè pronunciaverit ex eo precisè, quòd parentibus mortuis adhibeatur, aut etiam, quòd conſequens eſt, rebus ad naturale in illos obſequium pro gentis more teſtificandum deſtinatis.

§. 243. Atque hoc ipſum eſt juxta conſuetam Sinarum Phraſim communicare, & *tractare* cum *claris ſpiritibus*, *ſeu defunctis*: ita nimirum *celebrare hujuſmodi ritus ex corde, ac reverenter, ut videatur parentum ſpiritus adhuc aliqualiter in filio remanſiſſe*: quemadmodum explicat Doctor ille claſſicus *chu vuen* Kung ad quem nos remiſit Navarreta in fine objectionis propoſitæ; & cujus explicatio videri poterit apud Illuſtriſſimum Lopez Dominicanum, qui illam refert, & approbat, cap. 4. nu. 53. Tractatus approbati, & aucti ab Illuſtriſs. D. à Leoniſſa.

DUBIUM XI.

An ſint Veſtes particulares ritibus Progenitorum deſtinatæ ?

§. 244. Hic conſentiunt Adverſarii cum Jeſuitis in ritibus Confucianis non aliàs veſtes uſurpari, quàm quæ correſpondent proprio gradui, ac dignitati Mandarinorum, ſeu literatorum, qui eos exercent, & qui talibus veſtibus uti ſolent in publicis, ac ſolemnibus quibuſcumque functionibus. At diſſentiunt circa ritus Progenitorum; & non obſtantibus iis, quæ attulerunt PP. Societatis in ſua Expoſitione Facti, pag. 121., & 122. ut habetur in Opuſculo impreſſo; quæ quidem per ſe ſatis ſuperque eſſe videbantur ad rem iſtam dirimendam, putarunt Adverſarii eſſe regerenda, quæ ſequuntur.

§. 245. Primò. Remittunt ſe ad ea quæ dixerunt n. 109. & 136. novi ſui ſcripti. Nimirum ad illa quæ actu-

tulerunt in dubio ſexto ex Navarreta pag. 379. & in dubio decimo ex Varo pag. 44. quorum ſcilicet prior poſt longum quemdam & inconditum ſermonem ſolùm dicit eſſe generale præſcriptum, quòd omnia pertinentia ad oblationem non parvi pendantur, ac in alium uſum diſtrahantur, ſed *ſepeliantur*. Poſterior verò dicit, quòd ante fieri debeant inſtrumenta deſervientia oblationibus defunctorum, quàm alia, quæ ſunt pro uſu domus; & quòd nunquam vendi debeant, nec ex cauſa paupertatis; & ſi fuerint, vel fracta, vel vetuſta, *ſepeliantur*.

§. 246. Secundò. Adducunt, quod dicit Varo in *li ki*, præſcriptas eſſe veſtes particulares pro oblationibus, quas Imperator facit ſuis Progenitoribus; & quòd illæ confici debent ab Imperatore, & quòd corona, quâ in hac functione utitur, debet eſſe diſtincta ab illa, qua ordinariè utitur; & quòd hoc ipſum præſcriptum eſt pro oblationibus, quas idem Imperator facere debet

Cœlo

Cœlo, & terræ.

§. 247. Tertiò. Adducunt authoritates magis particulares ex eodem Varo, qui dicit in *li ki* (to.1.) cap. *Kioly Hia* contineri, quòd qui habuerit reditus, debet primò facere veſtes ad oblationes ſuis defunctis faciendas; & in cap. *vang chy fol.*9. dicitur, quòd veſtes ordinariæ non debent excedere veſtes pro oblationibus *Ci*. Additque idem Varo haberi in eiſdem libris, quòd ſi veſtes illæ vetuſtæ fuerint, *cremari* debeant; & ſe remittit quoad iſtud punctum ad primam partem, quam dicunt Adverſarii ſe Romæ non habere.

§. 248. Reſpondent PP. Societatis magnum ſibi videri argumentum de infirmitate cauſæ Adverſariorum, quòd pro rebus ità ſenſibilibus, & ità obviis, ut ſunt veſtes in funeribus Sinarum adhiberi ſolitæ, recurrere velint ad authoritates, neſcio quas, librorum antiquorum: atque ex illis ferè non niſi per violentas quaſdam conſequentias ea colligere,

ut ſolent, quæ ſi verè fierent, uno oculorum intuitu ad ſui demonſtrationem indigerent: Perinde, ac ſi aliquis v. g. ex Gallia tranſiens ad Sinas, ac jactans ſe omnia hîc exploraſſe, aſſereret, quòd de facto alii ex Gallis comas habebant ſine brachis; alii brachas è contrario ſine comis; propterea quod in Gallorum libris quibuſdam antiquis inveniſſet diviſionem Galliarum in comatam, & brachatam, &c.

§. 249. Nec leve etiam præjudicium videtur eſſe pro cauſa Jeſuitarum, quod fateantur Adverſarii pro cæremoniis confucianis non eſſe inſtitutas veſtes particulares, ac diſtinctas ab iis, quarum uſus eſt in aliis publicis, & *politicis functionibus*. Quis enim credat majorem hac in re pro defunctis cōmunibus curam, ac velut exceptionem apud Sinas fore, quàm pro Confucio, habito ſcilicet tanquam defuncto nobiliſſimo, totius gentis magiſtro? Quin imò ſicut ex una parte confeſſio illa Adverſariorum favet cultui po-

politico Confucii, ità ex altera parte obeſt conſequentiæ, quam iidem elicere nituntur pro cultu avorum religioſo, ex veſtibus particularibus illornm cultui deſtinatis, ut ſatis per ſe patet.

§. 250. His adde, quòd mirum non eſſet adhiberi veſtes particulares in Sinis ad ſua illa officia ſuis Progenitoribus, ipſique etiam Confucio perſolvenda, quam ex tali delectu, uſuque præcisè ſumpto inferri poſſet quidquam ibi ineſſe ſacri, & religioſi: cùm præſertim aliunde conſtet in uſu eſſe apud illam gentem, ut viſitationes honeſtiores nonniſi cum ſpeciali quodam habitu peragantur, uti videre eſt apud Trigautium lib. 1. cap. 7. pag. 67. & 68. ubi hæc leguntur: *Qui magiſtratum aliquem gerunt, aut literariis gradibus honorum ſunt inſignes, quoties hæc viſitationum officia peragunt*, peculiari muneris ſui habitu *induuntur, qui à quotidiano differt non parum. Qui his honorum titulis carent, & ſunt nihilo-*

lominus viri graves, proprium etiam habent ad viſitationes indumentum, *illudque à quotidiano diverſum; nec ſine alterius offenſione aliter fieri poteſt. Eâ causâ nos ipſi quoque, ne primariorum virorum congreſſibus arceamur, eo ipſo cultu, cum opus eſt induimur.*

§. 251. Reſpondetur autem ad primum ex Navarreta, & Varo deſumptum; nihil ibi dictum eſſe de veſtibus, ſed ſolùm de vaſis, ſeù inſtrumentis, prout ipſimet Adverſarii retulere: Neque ii ſub eo nomine veſtes etiam intelligere poſſunt, quin loquantur contradictoria, cùm in prioribus illis locis, quæ ex Navarreta, & Varo retulere, dixerint haberi ex libris *li Ki*, quod *ſepeliri* debeant illa inſtrumenta, quando vel fracta, vel vetuſta fuerint. Hic verò, uti paulò ante ex Varo retulere n. 3. dixerunt haberi in iiſdem libris *li Ki, quod ſi veſtes illæ vetuſtæ fuerint cremari debebant*. Nam *ſepeliri*, & *cremari* non coherent; & mendacem oportet eſſe memorem, ut eſt

in

in proverbio.

§. 252. Ad ſecundum, & tertium quæcumque tandem ſit authoritas locorum illorum *li Ki* toties ex Varo adductorum: Reſpondetur videri omninò ſufficere, quod jam olim declaratum eſt, non ex notitia ſolùm veterum librorum Sinicorum, ſed etiam ex peritia rerum, quæ in Sinis actu geruntur; ab homine ſcilicet in utriſque verſatiſſimo, perinde ac in Theologicis, P. Jacobo le Faure; qui de hoc argumento agit in Tractatu nuper impreſſo cap. 4. num. 11. Poſtquam ibi dixit certas veſtes ad ſacrificium ſtrictè ſumptum Imperatori determinatas fuiſſe, ut conſtat ex *li Ki* præſertim libro 6. tum ex Mentio referente, quàm religiosè Matronæ Regiæ alebant bombyces, & colligebant ſericum, ut veſtes ſacrificii conficerent, ſubjungit: *In piis Defunctorum, ſaltem extra familiam Regiam, ſolemnioribus oblationibus*, nunc aliis non utuntur veſtibus, *quàm quæ litteratorum, vel mandarinorum propria*

priæ ſunt, pro eo, ad quem promoti ſunt, gradu & ordine. Quæ dubio procul civilis ſunt, non religioſi muneris inſignia. Ac licet diſtinctæ quædam, inquit, *eſſent ab uſualibus veſtes, (quod olim inter optimates uſitatum videri non nego) non continuò tamen religioſus inde cultus argueretur, niſi eum aliunde ſignificarent. Ut in iis videre eſt, quæ in occiduis noſtris partibus tanto cum apparatu geruntur: ubi nec aliqua vaſa deſunt, aliaque inſtrumenta peculiaria, & cultui partim ſacro, partim politico addicta. Cujuſmodi & ſua quondam habuere Sinenſes, maximè Imperatores pro variis oblationibus varia, ſive numerum ſpectes, ſive figuram, ſive amplitudinem: ut paſſim in* liKi, & Kialy, *præſertim fol. 33. obſervatur.* Ita videlicet conſtat ex ſincera Relatione eorum, qui iſta viderunt, falſum eſſe, quod Adverſarii nonniſi divinando, aut conjectando affirmant; ſcilicet conſtat nullas eſſe veſtes in China particulares pro ritibus Progenitorum, contrà quàm illi aſſeverant.

§. 253. Accedit teſtimonium, quod Adverſariis ſuſpectum eſſe non debet, & quod mirum eſt non fuiſſe ab illis obſervatum, vel auditum, cum ſit Domini à Leoniſſa, quì in ſuis Reſponſ. ad Puncta Cardinalis Caſanatæ nu. 76. clarè dixit non eſſe determinatas veſtes, niſi pro iis qui ſacrificant, vel offerunt in *Chung miao*, hoc eſt, ut ipſe ibidem declaravit nu. 66. in Templis, quæ dedicata ſunt Progenitoribus Regiis, & aliis magnatibus, idque cum ſanguinis unctione: cujuſmodi conſtat non eſſe aulas, quæ deſtinatæ ſunt communiter ad oblationes Progenitoribus faciendas; cum iſtæ non *miao*, ſed *Cu tam* dumtaxat nominentur in toto Sinarum Imperio, ut conſtat expreſſo ejuſdem D. à Leoniſſa teſtimonio, quod ſuprà in §. 236. relatum eſt. En quam clarè conſtat falſitas aſſertionis Adverſariorum.

DU-

DUBIUM XII.

An in ritibus Confucii, & Progenitorum ſit Miniſter ſpecialiter deputatus?

§. 254. ADducunt Adverſarii ad hoc probandum: primo quoad ritus Confucii, quod habet P. F. Varo pag. 24. Ubi ſupponit tanquam certum, quòd in Urbe Imperiali, ipſe Imperator debeat eſſe offerens, niſi fuerit impeditus; & in Patria Confucii debeat eſſe primogenitus per lineam rectam ab eodem deſcendens. In omnibus aliis Urbibus & locis, *inquit*, ſunt ſpecialiter deſignati gubernatores illorum, & in eorum abſentia Præfecti litterarii *Hio Kuon*, qui ſolent eſſe aſſiſtentes Gubernatoribus offerentibus. Et inde concludit, quòd offerendi munus ſit annexum officio, ſive dignitati, non perſonæ: aitque offerentem vocari *Chu Chi*, *ideſt*, *facientem oblationem Chi*, & Aſſiſtentes

vocari *fu Chi*, ideſt, *adjuvantes in oblatione Chi*.

§. 255. Secundo quoad ritus Progenitorum adducunt, quod habet P. F. Varo pag. 39. Ubi notat primarium offerendi munus ſpectare ad Primogenitum legitimum: Tùm quod habet Navarreta pag. 160. num. 2. ex *liki* Tract. 2. ubi ait extare hunc textum, *Illegitimus non faciat oblationem Ci*; eòque loco ita dicere Commentatorem: *Illegitimus eſt modicæ, & humilis ſortis; ideò non convenit ut faciat illam cæremoniam: attamen ſi legitimus ſit impeditus, quominus poſſit facere oblationem* Ci, *poterit illam cum ejus licentia facere illegitimus*. Additque P. F. Varo loco citato, quòd in libris *liki* habetur, quod *interrogatus Confucius à ſuo diſcipulo* Chen Chu: *an caſu quo illegitimus, vel natu minor eſſet in dignitate conſtitutus, pertineat ad ipſum facere oblationem? Et reſpondit affirmativè: ſed quòd in tali caſu animal offerendum, ducendum eſt in domum fratris majoris natu,*

natu, aut legitimi; & minor natu debet dicere: Ego N. frater minor intendo facere iſtam oblationem loco N. mei fratris majoris. *Ubi & in Commentario habetur, quòd quoties Primogenitus, vel legitimus non poteſt facere oblationem, facere illam poterit ſecundò genitus, vel illegitimus: ſed ex præſcripto Confucii dicere debebit in oratione, quæ fit ad oblationem*: *Ego N. loco mei fratris, ad quem pertinet, facio iſtam oblationem*. Atque idem P. F. Varo pag. 40. notat ex libris *liKi* cap. *Sang fò Sia Ki* fol. 7., quòd matri concubinæ fieri poteſt oblatio dumtaxat à filio, non autem à nepotibus.

§. 256. Tertio quoad nomina offerentium, & aſſiſtentium in Progenitorum oblationibus, adducunt Adverſarii ex Varo illud idem, quod dixit pro ritibus Confucii. Adduntque illum reſpondentem Patri Fabro pag. 43. dicere quòd nemo negare ipſi poterit, quin nomen offerentibus omnibus commune ſit *Chu Chi*: ita ut eo nomine vocentur tàm Rex in

in Sacrificio propriè tali, quàm alii in oblationibus, quas faciunt ſpiritibus, & ſuis Progenitoribus: & quòd ſi aliquando offerentes Progenitoribus appellentur *Chuym*; nomen hoc eis tribuitur, quatenus ſunt Domini domus, quæ facere debet oblationem; non verò quatenus ſunt offerentes. Quippe nomen commune offerentium *Chi* eſt *Chu Chi*: quod ſcilicet ſignificat Offerentem oblationem, ut dictum eſt.

§. 257. Reſpondent PP. Societatis videri ſibi magis, ac magis Adverſarios patefacere ſuæ cauſæ infirmitatem, dum videlicet tanta cum ſollicitudine, ac prolixitate omnia velut undique corradentes, talia proferunt ad probandas oblationes, ſeu Confucio, ſeu Progenitoribus factas, veram habere ſacrificii rationem. Quaſi verò ad conſtituendum Miniſtrum ſpecialiter deputatum pro vero ſacrificio faciendo, de quo hîc agitur, ſatis eſſet deſignatio qualiſcumque perſonarum, quæ oblationem facere debeant: quando tot per-

ſonæ inveniuntur eſſe deſignatæ; in ea præſertim regione, quæ, uti jam ſæpius obſervatum eſt, ritibus omnis generis abundantiſſima eſt, & ad eos ritè peragendos perſonas paſſim habet, ita ſuis velut legibus conſtitutas, ſeu deſignatas, ut id aliis ſimiliter non liceat. Quemadmodum videre licet vel in iis quæ pertinent ad ritus ſedium collocandarum ad ſeſſionem in viſitationibus obſervandos, apud Trigautium lib. 1. de Chriſt. Expedit. apud Sinas cap. 7. pag. 68. Ubi ſcilicet, poſtquam dixit eſſe ſpecialia quædam *veſtimenta* ad viſitationes peragendas conſtituta, juxta dicta ſuperiùs; ita deſcribit ſedium collocandarum ritus: *Si plures fuerint*, inquit, *qui domi viſitantur*, *inter eos* primarius *hoſpitis ſedem, aut ſedes ſingulas utraque manu accipit, & ſuo loco ſtatuit in honoratiſſimo aulæ ſitu; inde propriis manibus eas excutit, tametſi nullus ſit in eo pulviſculus. Et ſi ſedes jam in ſuo ſint ordine collocatæ, ſingulas tamen ambabus manibus con-*

tingere , & velut aptiùs collocare mos eſt . Id deinde ſinguli , qui viſitantur , etiam præſtant in eundem planè modum . Tùm inter hoſpites , ſi plures fuerint , honoratior ejus , *quem viſitat , ſedem eodem modo accipit , & ex adverſo ſedis ſuæ illam locat , & eodem modo pulverem , aut excutit , aut excutere ſe fingit . Idem deinde cæteri faciunt , ſi plures fuerint* , ætatis ordine , vel dignitatis . *Quod dum fit , is cui hoc officium exhibetur , ad latus adſtat , manibus intra manicas receptis , & leviter elevatis , ac depreſſis gratias agit , & exhibitum honorem modeſtè recuſat .*

§. 258. Vides hîc in re levi, quomodo Sinæ rationem habeant *ordinis , ac dignitatis* . Diceres illos ita agere , quaſi rem quampiam ſacram, ac religioſam peragerent ; de qua tamen ne minimam quidem habent cogitationem . An verò illos putabimus eſſe debere minùs obſervantes *ordinis , ac dignitatis* , etiamſi nolint actum facere religioſum , in-

re

re quam ipſi longè putant eſſe graviſſimam: cujuſmodi eſt oblatio munerum facta Progenitoribus ſuis defunctis, in grati animi ſignum, & ad reverentiam filiorum erga parentes fovendam tuendamque inſtituta.

§. 259. Itaque fatentur PP. Societatis ad oblationes, ſeu Confucio, ſeu Progenitoribus faciendas, eſſe velut determinatam apud Sinas *qualitatem, & ordinem* perſonarum, quæ illas facere debent: ſicut & ibi determinata eſt *qualitas, & ordo* perſonarum, pro aliis rebus civilibus exercendis; ut *pro ritu ſedium ad ſeſſionem collocandarum*. Sed negant eſſe propterea Miniſtros ad id ſpecialiter deputatos, tanquam Sacerdotes videlicet à rebus cæteris ſegregatos, ut ſacris ſeu veris ſeu putatis operentur; cujuſmodi conſtat eſſe in ipſa China, quos vulgò Pagodas, aut Bonzios vocant. Quâ etiam ratione Miniſtros ſic acceptos excluſit à cæremoniis Confucianis P. Martinius in ſuo 3. quæſito ad S. Congr. dum dixit *nullum in iis intervenire Sacrificulum*.

lum, vel ex Idololatrica ſecta miniſtellum: Cui & aſſentiri viſa eſt Sac. Congregatio editione decreti dati anno 1656.

§. 260. Atque ad hanc rem facit, quod habet P. Philippuccius in Præludio nuper impreſſo pag. 49. *Miniſter Sacrificii*, inquit; *debet eſſe Sacerdos ad hoc miniſterium ſpecialiter, & legitimè deputatus. Inter Sinas autem, univerſaliter loquendo, nemo eſt ad præfata dona mortuis exhibenda peculiariter deſtinatus; ſed omnes utriuſque ſexûs, & cujuſcumque conditionis (exceptis Bonziis Idolorum Sacerdotibus tanquam è ſæcularibus, & politicis curis, & officiis ſegregatis, quod eſt maximopere conſiderandum) ut diximus, ſuo, vel alterius nomine hoc officio fungi poteſt*: *niſi aſſerere libeat* omnes Sinenſes mares, & fæminas eſſe Sacerdotes; *quo quid abſurdius?*

§. 261. Sed ea nimirum eſt abſurditas, quam Adverſarii cum Varo perſuadere Romæ conantur, tot illis locis ſupra adductis: ad quæ

qui-

quidem, ſeu vera, ſeu ſuppoſititia fuerint, non videtur aliud in præſenſenti reponendum eſſe, quàm *factum & exemplum ipſius Vari*, qui hoc ipſum miniſterium aliqua ſaltem ex parte per ſe ipſum non ſemel exercuit cum aliis Miſſionariis, non ſolùm Ieſuitis, ſed ex aliis etiam Ordinibus, uti teſtatur P. Philippuccius in Præludio pag.48. *Sciendum eſt*, inquit, *quòd cum aliquis in hoc Regno mortem obierit, præſertim nobili, & divite familiâ natus, præter cognatos, omnes amici ad defuncti Domum accedunt; ibique coram cadavere in lignea arca recluſo genuflectunt capite ad terram pluries inclinato reverentiam exhibentes. . .* Tiao. Ci, id eſt, *ſumma commiſerationis ſigna, ob amici, vel patroni mortem, oſtendunt; illique munera reverenter offerunt. Hic mos etiam à Miſſionariis Sinenſibus non ſolùm noſtræ Societatis, ſed etiam ex Sacris Ordinibus S. Dominici, & S. Franciſci ſervatur. Teſtes ſint R. P.* Fr. Franciſcus Varus *è Sancti Dominici familia, qui in urbe* Focheu *Prouin-*

vinciæ Fokien, *Reguli ibi demorantis demortuæ matri*, *&* *R. P.* Franciſcus de Conceptione *è S. Franciſci familia in urbe Cantonienſi*, *nuper occiſi Reguli Patri defuncto* hunc honorem, & reverentiam, unà cum muneribus detulerunt.

§. 262. Ac ſcitur Dominum à Leoniſſa, cum in China verſaretur, idem etiam officium abſque ullo prorſus ſcrupulo, qui tunc notari potuerit, perſolviſſe.

DUBIUM XIII.

An dies oblationis defunctis facienda per ſortes eligatur?

§. 263. Hic ab Adverſariis agnoſcitur PP. Societatis in ſua facti expoſitione admittere, quòd ſi fiat iſta cæremonia, ſit reponenda inter ſuperſtitioſa, quæ P. Martinius ab infidelibus peragi dixit in quartò quæſito decreti *anni* 1656. verùm eo non obſtante, ultrà progrediuntur Adverſarii, & adducunt primò

mò quæcumque congeſſit Varus de uſu ſortium in China, tum apud modernos, tum apud antiquos, ab ipſo uſque primo Sinarum Imperatore *Fohy* nuncupato, qui ſtatim à diluvio univerſali regnare cœpit. Itaque primum illum Imperatorem dicit Varus octo ſortes inſtituiſſe; quibus alias addit Rex *Vuen vang*; *Et his alias Confucius. Unde creverunt ultra numerum ſexagenarium; adeout de illis fuerit ab antiquis compoſitus liber unus Claſſicus* yeking, *cui Confucius jam ſeptuagenarius multùm ſtuduit.*.

§. 264. Secundò. Adducunt, quæ dicit Varus ſpeciatim de uſu ſortium in oblationibus Progenitorum, ex libris *li ki*. In quibus præſcribitur, inquit, quod inſtrumenta ad habendas ſortes in iſtis oblationibus ſepeliri debent, quando ſunt vetuſta. Et iiſdem libris Tom. 1. cap. *Vuang Chi* fol. 6. dicitur, quòd Rex antequam exeat ad bellum, priùs faciat oblationem *Chi* ſuis Progenitoribus. Ubi dicit Commentator hanc oblationem

fieri

fieri Progenitoribus ad accipiendum ipſorum mandatum, quod fit per projectionem ſortium. Aiuntque, quod & ſi id non pertineat ad punctum electionis diei, de quo hîc agitur; illud tamen notare voluerunt, ut inde appareret Sinarum propenſio etiam ſecundum libros antiquos & claſſicos ad uſum ſortium in oblationibus Progenitorum.

§. 265. Tertiò Afferunt longam deſcriptionem, quam facit Varus de cæremonia eligendi diem oblationis faciendæ, ex Ceremoniali *Chuveng Kung Kiali*, quod dicit Varus compoſitum fuiſſe à celeberrimo Authore ſexcentis circiter abhinc annis, & ſemper obſervatum fuiſſe ab omnibus, & ſemper obſervari debere ex Decreto Regio; uti etiam aſſeruit Illuſtriſſimus D. à Leoniſſa in ſcriptura ſpeciali.

§. 266. Reſpondent PP. Societatis inutilem Adverſariis videri debuiſſe laborem, qui in hoc de ſortibus tam longo ſermone poſitus eſt, poſt eam declarationem Patrum Societa-

tis,

tis, ipſis Adverſariis minime incognitam; qua in ſua expoſitione facti, pag. ſcilicet 179. ſignificaverant, quòd ſi illæ adhiberentur ſeriò ad felicem exitum obtinendum, uti Relatio Adverſariorum ſupponere videbatur, eſſent illæ reponendæ inter ea ſuperſtitioſa, quæ P. Martinius ab Infidelibus peragi dixerat in quarto quæſito Decreti anni 1656.

§. 267. Neque enim id ſibi PP: Societatis aſſumpſerunt, ut cæremonias iſtas Sinenſes ab omni prorſus ſuperſtitione abſolverent; quin imò ultrò fatentur, quemadmodum & antea ſemper confeſſi ſunt, illas prout à Sinis infidelibus peragi ſolent, multis magniſque imbutas ſeu admixtas eſſe ſuperſtitionibus; licet non videantur iſtæ pertinere ab ſubſtantiam oblationum, quas illi faciunt ſuis defunctis; uti agnovere ipſi etiam Authores Relationis ad S. C. P. Pag. 178. in expoſitione Facti impreſſa: Ubi poſt factam de tota illa cæremonia ſortium mentionem

tionem ex Rituali *Kiali*, teſtantur *in illo etiam dici quòd omnes oblationes* Chi *conſiſtunt tantummodo ſeu principaliter in totali ſoliditate ſeu perfectione amoris, & reverentiæ.*

Quò etiam pertinet teſtimonium Illuſtrisſimi à Leoniſſa iu fine ſuarum Reſponſionum ad quæſita S. C. P. ubi dicit id quód Sinæ tàm antiqui quàm moderni cum tantis cæremoniis præcipuè intenderunt, fuiſſe memoriam ſuorum Progenitorum ac Magiſtrorum defunctorum: *E veramente quello che han preteſo principalmente i Chineſi, così antichi, come moderni con tante ceremonie; pare che ſia ſtata detta memoria.* Idem quoque in iiſdem Reſponſionibus apertè teſtatus eſt cæremonias omnes ſuperſtitioſas aut idololatricas, quæ communiter pro talibus habitæ ſunt, fuiſſe Sinenſibus Chriſtianis ab omnibus Chinæ Miſſionariis, ac proinde etiam à Ieſuitis prohibitas.

§. 268. Quorſum ergò novam iſtam

iſtam de ſortibus, quæ cæremoniis Sinenſibus admixtæ ſunt, mentionem facere voluere poſt præmiſſam illam PP. Societatis declarationem, niſi ad confundendam ſubſtantiam cum accidentibus, & acceſſorium cum principali: cujus tamen periculi immunitas quædam contineri videtur loco illo Relationis ad S. C. P. proximè citato cum ſubjuncto teſtimonio Illuſtriſs. D. à Leoniſſa.

§. 269. Atqui talem reipſa fuiſſe intentionem Adverſariorum, qui intra ipſam Chinam Sinicos ritus impugnare auſi ſunt, ſignificat & objectio ab illis propoſita, & Reſponſio P. Philippuccii ad illam ſub nomine Textus 27. data, quæ habetur in ejus Tractatu ſæpius citato, cujus Titulus eſt: *Explicatio 37. Textuum*. Sic enim ibi habet Adverſariorum objectio. *In hoc Textu* yè King *inſinuatur jactus ſortium ad inveſtigandam voluntatem illorum, quibus ſacrificandum eſt, & cùm ſors tali modo fit, poteſt iri ad ſacrificandum; quia fortuna, & felicitas*

erit magna. Ego exiſtimo in hoc loco ex eodemmet ſpiritu, ex quo nata ſunt auguria, & ſortilegia &c. emanaſſe quoque hæc ſacrificia, & ritus Sinicos; quoniam uſque adeo germana ſunt hæc, & illa, ut vix fiat ſacrificium. niſi priùs ſortes jaciantur &c. prout conſtat ex liKi, *& Xu* King *in multis locis &c.* Hactenus objectio illa Adverſariorum ex P. Philippuccio.

§. 270. *Jam* vero ſic habet Reſponſio P. Philippuccii ibidem: *Hic textus, inquit, & ejus Commentarius habent ſenſum prorſus alienum ab eo, quod dicit Adnotatum. Aſſumptum, & intentio textûs manet ſatis explicata per* chām cō *in commentario* Ye Kim, *& per alium Commentatorem, qui eſt in parte ſuperiori ipſorum* Chē Kiai, *&* chàm iō *lao*. Ac poſtquam illorum Commentatorum doctrinam retulit, ita ſubdit: *Videtur irrogari valde gravis injuria ritibus Sinicis (quibus ipſi honorem exhibent, ac ſe præbent gratos Parentibus, & majoribus defun-*

functis, idque per dictamen naturale à Deo inditum, dicendo illos natos eſſe ex eodem ſpiritu, ex quo emanarunt auguria, & ſortilegia. Si Sinæ miſcuerunt aliquam ſuperſtitionem cum ritibus tantæ pietatis erga majores, docendi ſunt, ut illam omittant; at velle ſine examine damnare omnes illorum ritus, eſt damnare quodammodo ipſam legem naturalem, ejuſque authorem.

§. 271. *Si ex abuſu* (pergit P. Philippuccius) *Sinarum modernorum, qui non offerunt oblationes ſuis defunctis, niſi poſtquam jecerunt ſortes, inferri poſſit, quòd ex eodem ſpiritu natæ ſunt ejuſmodi oblationes, ex quo emanarunt ſortes; & quòd conſequenter utrumque ſit ſuperſtitioſum, & damnari debeat: poterit etiam inferri, quòd funera defunctorum, matrimonia, itinera, ſtudia, & univerſaliter omnes actiones politicæ eorumdem Sinarum modernorum, natæ ſunt ex eodem ſpiritu, ex quo emanarunt ſortes, & aliæ obſervationes ſuperſtitioſæ, quæ ple-*

plerumque præcedunt dictas actiones. Et ſic omnes deberent damnari, & prohiberi tanquam illicitæ, & ſuperſtitioſæ &c. Etſi hoc fieri non poteſt, ſed ſufficit prohibere ſortes, & illud, quod eſt ſuperſtitioſum, & permittere quod ex ſe politicum eſt; cur idem fieri non poterit in oblationibus ad defunctos &c.

§. 272. Ita P. Philippuccius ad illam Adverſariorum objectionem è ſortibus petitam; ex quo etiam inter alia apparet, quàm nutet fides eorum, quæ dixit Varus de inventione, & uſu ſortium apud Sinas, prout hîc relatum eſt num. primo, de quo etiam plura paulò poſt dicentur.

§. 273. Contra id etiam, quod ab eodem Varo relatum eſt num. 2. ex cap. *Vamchi*, facit quod habet idem P. Philippuccius in Adnotationibus ſuper *liKi*. *Caput quintum vocatum* Vamchi, inquit, *compoſitum fuit ex ordinatione* Venty *quarti Imperatoris regiminis* Han: *ita affirmant in initio capitis Commen-*

tatores

tatores Chin , *&* Kiamy . *Inſuper præfatus Chin in fine Commentarii hujus capitis addit , in hoc capite mixtas eſſe doctrinas variorum ſæculorum, & plures earum eſſe decerptas ex alio libro non claſſico : negat poſſe aliquid firmari , & dubitat de illius authoritate : Citat celebrem litteratum* Chù hi : *affirmat ea quæ à literatis regiminis* Han *dicuntur in hoc capite, involvere contradictiones ; & quòd illi profiteantur ſe ſequi Ritus antiqui regiminis* jn ; *ſed dubitat ipſe an poſſint id probare.*

§. 274. Sed & contra id , quod ex eodem Varo dictum hîc eſt n. 3. de magna illa, ut dicit, authoritate *Kiali*, cum adjuncto teſtimonio Illuſtriſſimi à Leoniſſa , facit quod ex P. Philippuccio repoſitum eſt ſuprà §. 102. atque in Appendice manuſcripta ad Expoſitionem facti adverſus ſcriptum illud Domini à Leoniſſa; qua in re non videtur magnum eſſe operæ pretium diutiùs immorari.

§. 275. Cæterùm , etſi non in-

tendant PP. Societatis uſum præſentem ſortium apud Sinas à labe ſuperſtitionis eximere, ut ſatis liquet ex iis, quæ dicta ſunt: haud tamen ita videtur eſſe prætermittendum, quod de antiqua illa ſortium inventione uſuque apud Sinas, ac de libri *ye King* compoſitione ex Varo relatum eſt num. primo. Nam præter illa, quæ hac de re paulò ante inſinuata ſunt ex P. Philippuccio, adverſus eam Vari fabulam, ſuppetit Paragraphus ſextus primę partis Proęmii, quod eſt in principio libri Pariſiis impreſſi anno 1687. Cui Titulus eſt: *Confucius Sinarum Philoſophus*. Ubi ſcilicet continetur ampla, & accurata deſcriptio libri hujus *ye Kim* dicti, quem Varus de ſortibus compoſitum eſſe dixit à *Fohi* primo Sinarum Imperatore, qui octo ſortes inſtituerit; & à Rege *Venvam*, qui ſortes alias prioribus addiderit; ac demum à Confucio alias ſortes præcedentibus ſuperaddente; itaut ultra numerum ſexagenarium ſortes iſtę excreverint in eo libro; cui & Confu-

fucius jam ſeptuagenarius multùm ſtuduerit.

§. 276. Quis talia Varo tam ſeriò præſertim tamque affirmatè referenti non crederet, niſi fortè ſuſpicaretur ejuſmodi homines hieroglyphicis perinde, ac geometricis lineis, & figuris parum aſſuetos, pro magicis facilè habere quæcumque ejuſmodi ſignis circumſcripta invenerint, quemadmodum contigiſſe refert Baronius ad annum Chriſti 1003., cum de Romano Pontifice Silveſtro ſecundo loquens, *dicit illum de magicæ artis exercitio calumniam ſubiiſſe, ob Geometricas, atque Aſtrologicas figuras, quibus incumbere conſueverat: quas rude ſæculum*, inquit, *adeo mirabatur; Et his conjunctam viri felicitatem admirandam ſimul obſtupeſcentibus multis de vulgo præſertim.*

§. 277. Certè de libro iſto Sinico *Ye King* dicto, ac de ſexaginta quatuor figuris in illo contentis, quas totidem ſortium nominibus inſignire Varo placuit; quaſi totidem eſſent

 figuræ

figuræ magicæ, longè aliam nobis ſpeciem, atque ideam dabit citatus locus libri in China pridem compoſiti, ac Pariſiis, ut dictum eſt, nuper impreſſi; idque ex certis monumentis in China conſultis, quàm dare ſtuduerit Varus ex ſolo, ut apparet, ſexaginta quatuor figurarum, quibus liber conſtat, conſpectu de ejus malignitate convictus.

§. 278. Ibi ergo poſtquam dictum eſt *Ye Kim*, qui libri titulus eſt, idem ſonare apud Sinas, ac *librum mutationum*; ejuſque Authorem eſſe *Fohi* Sinicæ gentis Conditorem; qui cum literarum nullusdum eſſet uſus, pro libro reliquerit hieroglyphicas quaſdam lineas, ac figuras; ita ſubditur: *Et Authoris quidem, ſcilicet* Fohi, *conſilium non aliud fuiſſe conſtat, quàm ut rerum creatarum mutuos vel nexus ac ſocietates, vel diſſociationes ac pugnas, ad hæc influentias, ordinem, viciſſitudinem mortalibus ob oculos poneret, & per iſtos veluti gradus rudem Sinicæ gentis infantiam* ad ſui principii ultimique

mique finis, ſupremæque ſpirituum intelligentiæ notitiam paulatim manuduceret: *Cui proinde vota, & ſacrificia jam tùm offerebantur*; *& quam ob rem* Fohi *alio nomine* Paohi, *quaſi complectens victimas, nominatur*. *Quò evidentiſſimè convincitur* veri Numinis cultum in ipſo gentis exordio extitiſſe. Quantùm hæc diſtant ab idea Vari, unà cum ſuis volentis Sinas omni Dei veri notitia perpetuò orbatos fuiſſe, ideoque omnia, quæ ad Sinas pertinent, in malam partem perpetuò accipientis.

§. 279. Pergit deinde Author libri Pariſiis impreſſi ad declarandum quomodo *Fohi* illa, quæ *Cælo*, *terræ*, *homini* accidebant poſteris conſideranda propoſuerit; ac dum contemplaretur horum trium mirabilem quamdam ſocietatem, & quaſi mutuam affinitatem, & ſymmetriam, deſcripſerit ipſe *Figuras* octo, Sinicè *Paqua*, ideſt, *octo pendulas imagines, vel figuras*. *His quippe vocibus,* inquit, Qua hi ven chi ſiam *Interpres*

terpres Sinicus literam qua *exponit, tametſi nunc vulgò pro ſortibus per abuſum accipiatur. Et ſic quidem eas figuras deſcripſit, ut ſingulæ ternis quoque lineolis partim integris, partim interruptis conſtarent. Ex quo deinde combinationes octo conſurgunt: ad eum ferè modum, quo artis noſtræ metricæ pedes tryſillabi combinantur, ſi loco integræ lineæ ſyllabam longam, interruptæ duas breves concipias. Ex his autem octies inter ſe multiplicatis quatuor, & ſexagintæ figuræ tandem exiſtunt, quas ipſas dum curioſa deinde Poſteritas diſponit alio atque alio ſitu, ſivè ſtructura, illæ ſitu ſuo, atque varietate variam, ac multiformem rerum naturam, motum, ordinem, ceu rudi quapiam pictura quadamtenus adumbrant.*

§. 280. Et ea quidem fuit origo, atque intentio ſexaginta quatuor illarum figurarum, quas Varus non doctos Sinenſes, ſed vulgum ſecutus per abuſum literæ *qua*, ſortes appellavit, ultra numerum ſexagenarium

rium excreſcentes : perinde ac ſi quis apud nos v. g. Virgilii carmina pro magicis incantamentis haberet , eo quòd ſint aliqui è vulgo , qui illis ad malum finem abutantur : unde & factum videtur , ut pro Synonimis haberentur carmen , & incantamentum .

§. 281. Neque abſque fundamento fuit , quamvis & ipſum per ſe inane fuerit , quòd Varus Regem *Vuen Vang* , & Confucium aſſociaverit Regi *Fohi* in compoſitione libri *Ye King* , ſeu in inventione prædictarum figurarum , quas ipſe ſortes unà cum vulgo appellat . Nam ut habetur in Proœmio citato pag. 40., & *Venvam* Rex octo illas figuras à *Fohi* inventas interpretatus eſt, indito ſingulis proprio nomine , ſeu charactere , & Confucius quatuor priores *Su Siam* , ideſt, *quatuor imagines* appellavit : quibus ajunt Interpretes *Solem* , *Lunam* , *Stellas majores* , *ſeu magis coruſcantes denotari* .

§. 282. Ac de octo illis figuris , ea-

earumque inter ſe communicatione, aut diſſociatione, pluribus egit idem Confucius ad librum *Ye Kim*; ubi tum ex ſua ipſius, tùm ex *Ven Vam*, *&* *Cheu cum* interpretum ſententia, deſcripſit rerum productionem per æquabilem totius anni circulum, perenni quodam curſu, & imperturbato ordine, per quatuor hujus tempeſtates, & per octo mundi plagas, ſeu cardines in ſe recurrentem, Authore *Cæli Imperatore*, ſeu Deo: uti refertur in Procemio citato pag. 43. Ubi & poſt relata Confucii verba de ejuſmodi productione juxta explanationem Interpretis *Cham Colai*, ſubjungitur hæc hujus Interpretis concluſio: *Kiai Xamti Chi Chu, Cai*, ideſt: *Hæc omnia ſunt à Supremi Imperatoris dominio, & gubernatione*. Quibus verbis, ut patet, illuſtre continetur & Confucii, & *Chàm* Colai teſtimonium de Deo mundi Opifice, ac Supremo Domino, & Gubernatore.

§. 283. Rurſus verò pag. 45. ejus Procemii dicitur eas ſexaginta quatuor

tuor figuras, omnium primus Rex *Venvam* conatus explicare, tùm ejus filius *Cheucum*. Quorum interpretationes explanare aggreſſus deinde Confucius, omnia declaravit morali ſenſu; ſic ut ex naturali rerum inter ſe nexu, ordine, viciſſitudine, vique efficiendi, pulcherrima petat documenta, tùm ad privatos cujuſque mores, & domeſticam inſtitutionem; tùm præcipuè ad publicam *Urbium*, Provinciarum, & Imperii totius adminiſtrationem. Quanquam idem Confucius jam Senior faſſus eſt, ſe illius libri ſenſum iterum accuratiùs inveſtigandi deſiderio teneri.

§. 284. Ea ſcilicet ſunt fundamenta, quibus Varus ſuam illam fabulam de infauſta compoſitione libri *Yekim*, ac de ejus Authoribus *Fohi*, *Venvam*, & Confucio inædificavit; quos utique tanquam ſortilegos, ac magos repræſentare maluit, quàm credere illos aliqua veri Dei notitia, ac religione fuiſſe imbutos. Quaſi verò bona iſta, quantulacumq; de-

demum fuerit, de antiquis Sinarum Doctoribus exiſtimatio plus poſſet afferre damni, quàm utilitatis ad religionem Chriſtianam in illa regione promovendam; aut quaſi denique neceſſe foret gentem univerſam omnium retro actorum temporum excæcare, ſeu perpetuò excæcatam denunciare; quò poſteri fierent lucis excipiendæ videndæque capaciores.

§. 285. Neque tamen negavit Author Præfationis jam ſæpius citatæ eſſe in libro *Ye Kim*, de quo hîc agitur, aliquid ad ſortes pertinens. Sic enim habet ille pag. 45. ſub finem. *Ad ſortes interim, & auguria quod ſpectat, non ille quidem* (ſcilicet Confucius) *negat exiſtimaſſe priſcos Sinas, eam rebus quibuſdam inditam eſſe vim, ac naturam, qua eventus rerum vel fauſtos, vel infauſtos diu antè mortalibus enunciare valeant: uti ferè ſolet ab Horoſcopo cujuſque peti ſcientia aliqua futurorum; eaque Sapientum quoq; judicio non uſquequaque vana, & aber-*

aberrans. *Verumtamen,* ſubdit, *Confucius ipſemet, quemadmodum teſtantur Interpretes, nulla ſortium, vel auguriorum habita ratione, non ſecus, ac ſi vanum quid eſſent, ac prorſus inutile, certè quidem ad ſe neutiquam pertinerent; Sic rationis unius ductu contentus, ac lumine, de una virtute hìc laboravit, huic uni dedit operam.*

§. 286. Idem verò Confucius in hoc ipſo libro *Ye Kim* 3. part. diſertè dicit eo maximè conſilio fuiſſe librum iſtum à veteribus compoſitum, non ut auguriis, ac divinationibus eſſet uſui; ſed ut cognoſcerent homines quam à Cælo naturam acceperunt, eàmque ceu Ducem, & magiſtram ſequerentur; deinde verò & *Cæli mandatum*, ſeu Supremi Numinis providentiam, à qua natura proceſſit, perſpectam haberent; quemadmodum *Cham* Colaus celeber Interpres Sinicus exponit.

§. 287. Atque hæc ſufficient, ut ſperatur, ad elevandam pravam illam exiſtimationem, quam ex oc-

caſione

caſione ſortium Sinicarum ingenerare conatus eſt Varus de libro *Ye King*, ac de Confucio , quem inter ejus Authores repoſuit . A quo etiam videtur D. Carolus Maigrot propter arctam cum Varo , & aſſeclis neceſſitudinem adverſa illa ſua hauſiſſe de eodem libro præjudicia ; quæ in ejus defenſores adhibito totius ſuæ authoritatis robore tuenda eſſe judicavit . Quando ſcilicet inter illa , quæ damnavit in fine ſui Mandati , hoc etiam adſcripſit : *Librum, quem Sinæ Ye King appellant , ſummam eſſe optimæ doctrinæ phyſicæ , & moralis* . Ac mox ita ſubiecit : *Hæc & ſimilia , uti falsò , temerè . & ſcandalosè dicta ſcriptave, diſtrictè inhibemus , ne in toto Vicariatu noſtro diſſeminentur .*

DUBIUM XIV.

An Sinæ aliquid petant, vel ſperent communiter à ſuis Progenitoribus defunctis?

§. 288. AD id probandum adducuntur varia à PP.FF. Varo, & Navarreta producta ex variis Sinenſium libris; quorum præcipua hîc proferentur, ex quibus facile erit de reliquis judicare. Itaque primo ex Varo, in *liki* tom. cap. *yve ling* fol. 5. dicitur, quòd vere Rex debebat offerre veſtem ſericam coloris obſcuro-flavi primo Regi Sinarum *Fobi* dicto. Ubi in Commentario habetur, quòd oblatio hujus veſtis fieri debet ante illius tabellam ad petendum ſericum illius anni. Ibidem dicitur, quòd Verno item tempore, cum primùm Rex navem conſcendit, offerre debet in Templo ſuorum Progenitorum quemdam piſcem vocatum *goey* ad petendum, ut triticum perficiatur, & fru-

mentatio ſit bona &c. Tùm dicitur, quòd in hyeme Rex debet petere à Cælo bonam frumentationem anni ſequentis, & occidere animal, illud offerendo ſpiritui ſeminum, & ſpiritui portæ, & *Progenitoribus*, & quinque ſpiritibus domus.

§. 289. Secundo ex Navarreta cit. cap. *yveling* fol. 11.; dicitur, quòd in æſtate Rex injungat Mandarinis, ut præparent & colligant herbam pro ſuſtentatione animalium offerendorum, præcipiendo omnibus ſubditis, ut in hoc ponant totum conatum, cum deſeruire debeant pro oblationibus faciendis Supremo Imperatori, & ſpiritibus principalibus fluminum, & quatuor mundi partium, & pro oblationibus, quæ fieri debent Animabus *in Aulis Progenitorum*, & ſpiritui ſeminum, ad hoc ut etiam ſubditi bona petant &c. Ac notat ibi Varo, quòd ponuntur Animæ Progenitorum in Catalogo illorum, à quibus Rex, & Vaſſalli debent petere felicitates, & nobiliori loco. ſcilicet antecedenti, quàm ſpiritus

ritus ſeminum. Additque idem Varus quòd Brancatus utens illa authoritate ad probandum Sinas cognoviſſe ſubſtantias ſpirituales (uti videri poterit in Brancati libro impreſſo tom. 2. pag. 264.) omiſerit quod ſequitur, nempe: *ad offerendum Animabus in Aulis ſuorum Progenitorum, & ſpiritui ſeminum*; & quòd id etiam omiſerit P. Faber, ſeu le Faure, in ſuo libro cap. 3. num. 14.

§. 290. Tertio in *liki* tom. 2. cap. *lylien* fol. 4. ubi agitur de oblationibus faciendis Progenitoribus, de inſtrumentis, ordine, ac diſpoſitione, concluditur dicendo quòd totum illud eſt ad hoc, ut ſpiritus ſuperni cum ſuis Progenitoribus deſcendant; & hoc eſt quod dicitur, de *Cælo* bona recipere. Ubi & gloſſa interlinearis dicit: Poſt omnes oblationes, ſpiritus appropinquant, & animæ lætantur; quomodo ergo non recipientur felicitates, & auxilium de Cælo? Tum in ſecundo Commentario dicitur, quòd quando in iſtis

 obla-

oblationibus exterior reverentia habet totum , quod exigitur , & manifeſtatur interioris perfectio , ſtatim ſuperni ſpiritus appropinquant , Progenitores lætantur , & concedunt offerentibus felicitates , & bona. Atque in eodem capite folio ſequenti , ubi agitur de oblationibus faciendis ſuis Progenitoribus, inſtitutis ab antiquis, gloſſa interlinearis dicit , quòd faciendo iſtas oblationes juxta regulas ab antiquis inſtitutas eſt certum , & clarum , haberi felicitates , & bona .

§. 291. Quarto in eodem *liki* tom. 3. cap. *Chy fa* fol. 2. ponuntur ſeptem templa , quæ Reges habere debent pro ſeptem Progenitoribus immediatis ; & dicitur quòd ſi aliquid ſit petendum ab antecedentibus dictos ſeptem Progenitores , fiat illis oblatio *Chi* ; ſi non ſit petendum , non fiat oblatio .

§. 292. Quinto in libro *Xu King* tom. 4. tract. *Siào ya* cap. *tien pao* fol. 9. ponuntur quidam verſus, in quibus dicitur : Filiis obedientibus , jejunis , & puris promittitur vita longa,

longa, ſpiritus appropinquant, & eis relinquunt multa bona; quod in Commentario explicatur de Progenitoribus: ac ſimilia multa ex eodem libro proferuntur, in quibus & continetur, quod pertinet ad Regem *Uven Vam*, *&* *Cheucum*, & ad Reges *Vu*, *Ching*, Kang &c.

§. 293. Sexto in Cæremoniali *Kialy* orationes quamplures inveniuntur ad defunctos Progenitores pro variis negotiis directæ: ut quando adoleſcentibus primò imponitur birretum; quando inchoare debent ſtudia, accipere gradum, matrimonium inire &c., quæ partim ex Varo, partim ex Navarreta producuntur; qui & ait ſimiles multas orationes reperiri in *Kiayu*, quem Navarreta dicit eſſe opus Confucii; & qui ſaltem, cum ſit liber valde antiquus, probat orationes quæ ſunt in *Kiali*, non eſſe noviter inventas.

§. 294. Septimo adducuntur multa ſpeciatim ex Navarreta ſpectantia ad diſpoſitiones, & effectus oblationis *Ci*; ac inter alia, quod ait

haberi in *liki* tom. 5. fol. 11. pag. 2. Ubi licet ita dicatur : *In oblationibus Ci ad defunctos non ſunt petitiones, nec preces*; at Commentarius dicit : *Oblationes* Ci *habent ſuas cæremonias ordinarias, ac determinatas : non fiunt ad petenda bona particularia. In ritibus ſunt orationes magnæ cum ſuis petitionibus. In orationibus parvis ſunt petitiones bonorum, & fortunarum; quia æquum eſt & neceſſarium, ut fiant iſtæ petitiones*. Itemque in *liki* tom. 5. fol. 50. dicitur, *inquit idem Navarreta*: *Oblatio* Ci *tria continet, petere, gratias agere, & fugare mala, calamitates, bella, infirmitates, & peccata &c.*

§. 295. Reſpondent PP. Societatis plurima hîc repeti, ſeu ab Adverſariis, ſeu ab Authoribus Dubiorum, quæ jam ſupra producta ab illis fuerunt; quaſi in animo habuerint, iſtâ ſuâ velut amplificatione majorem quodammodo reddere eorum, quos impugnandos ſuſcepere, rituum turpitudinem; aut quaſi exiſtimaverint iidem,

iidem, iteratam ſæpius ejuſdem argumenti repetitionem, pro vera argumentorum multiplicatione haberi poſſe; quemadmodum in bello quandoque contingit, ut ad incutiendum hoſtibus terrorem ex præconcepta copiarum multitudine, iidem ſæpè milites aliâ, atque aliâ viâ progredientes regredienteſque illorum obtutibus obiiciantur.

§. 296. Utcumque verò id fuerit, duo hîc dicunt PP. Societatis. Primum eſt, videri ſatis ex præcedentibus manifeſtum, quàm modica facienda ſit exiſtimatio de tot textibus ex Varo, & Navarreta accumulatis; quorum quidem alii magna ex parte truncati, alii in ſenſum prorſus alienum contrariumque detorti, alii etiam ficti, atque ſuppoſiti fuere; quemadmodum ex toto hactenus facto diſcurſu apparere potuit: ita ut nihil aliud inde concludendum videatur, niſi quòd ſimilibus argumentis fidere nemo poſſit ad rem tanti præſertim momenti decidendam, quanti ea eſt, quæ Romæ

agitur in præſenti. Ut nihil hîc interim ingeratur de manuſcripto P. F. Vari, ex quo ejuſmodi Textus extracti ſunt; quod quidem variè truncatum, & immutatum apparuit; ita ut licet hiſpanico idiomate conſcriptum ſit, gallicis tamen verbis interpolatum eſſe inveniatur, quæ manum interpolatoris facilè indicant, ſcilicet Domini Charmot; cujus demum unius authoritati innititur tota fides, quæ huic Tractatui de controverſiis Sinenſibus adhiberi poteſt.

§. 297. Alterum eſt, quòd etſi ex iis, quæ antea variis in locis dicta ſunt, ſatis ſuperque pateat Reſponſio ad Textus pro præſenti dubio ab Adverſariis moto adductos, quatenus veri aliquid ſolidique habere poſſunt: juvabit tamen hìc repræſentare, quæ adhuc ea de re inveniuntur tùm apud reliquos bonos authores, tùm apud Patrem præſertim Philippuccium in Explicatione ſæpius citata 37. Textuum, & in ejuſdem Adnotationibus ſuper *liki* (quorum ſcilicet Tractatuum originalia

nalia habentur in Archivio Romano Societatis) quò magis, ac magis appareat nihil hîc ex Varo, & Navarreta produci, quod non fuerit jamdiu in ipſa China viſum, examinatum, ac ſolutum.

§. 298. Ad primum ergo à Varo adductum ex *liki* cap. *Tve ling*. Reſpondent PP. Societatis primò quod in ſua Expoſitione Facti jam reſponderunt: nimirum quòd ſi verè in capite illo contineretur, quod ex Varo citatum eſt, pertinerent ejuſmodi oblationes non ad Progenitores quoſcumque, ſed ad eos ſolùm, quos Sinæ tanquam Divos venerati ſunt iuxta ea quæ tradidit ipſe P le Faure in ſuo libro de Sinenſium Ritibus politicis pag. 227. ubi ſic ait: *Ad extremum nolim ego inficias ire, quod conſtat ex lib. 2. de officiis, id eſt*, LiKi *& ex Annalibus paſſim, nonnullos Imperatores, oblationes quaſdam peregiſſe, imò & extraordinariam fortè aliquam inſtituiſſe ad deprecandam implorandamque, non majorum quorumlibet, ſed illorum*

rum duntaxat Sanctorum, ut putant, Regum, quos diſtinctè compellabant, opem. Verum hinc nova probatæ hactenùs veritatis confirmatio potiùs, quàm infirmatio exurgit: nam cum neque ſtatis temporibus perficiendæ in ipſa majorum Aula oblationes, neque peragendæ in cæteris omnibus Aulis, deprecationis quidpiam continerent; hinc efficitur illis duntaxat heroibus oblatum quandoque petitionis causâ fuiſſe ex ſingulari quodam Imperatoris affectu; nuſquam verò inſtitutas ad communem Avorum cultum oblationes deprecatorias. Qua de re etiam videri poteſt P. Intorcetta pag. 162, & 163.

§. 299. Reſpondent ſecundo PP. Societatis videri ſibi locum illum à Varo adductum ex *liki* cap. *Tveling* ſol. 5., & ex ejus Commentario, eumdem eſſe reipſa cum eo, quem affert, & ſolvit P. Intorcetta pag. 209., & ſeq. ubi ita reſpondet P. F. Navarretæ: *Locus hîc citatus*, inquit, *non eſt quidem* liKi, *tract.* Vam chi *fol.* 3. *quem citat P. V. ſed*

ſed liKi tract. Yuelim, *fol.* 55. *cujus hæc ſunt verba*: Hac eadem Luna Imperator obtulit lutei coloris veſtem Prædeceſſoribus Regibus. *Textus hic nihil affert contra nos: nos enim fatemur fieri à Sinenſibus oblationes quaſdem munerum, aut dapum defunctis, quos politicè honorant, uti vivos honorabant. Videamus nunc an Interpres aliquid contra nos ſtatuat.* Chu Kia Yue *interpres, vel Commentator ait: Iſti Prædeceſſores Reges (de quibus textus loquitur) illi ſunt, qui olim fuerunt ſolidarum virtutum Principes. deinde addit: Rex obtulit hoc munus ad, ſeu ante memorativas eorum* tabellas Xin Cò *dictas, ad deprecandum pro totius Regni Sericâ re; vel, ut alii explicant, ut Prædeceſſores Reges intercederent apud ſupremum Cæli Imperatorem pro rei Sericæ ubertate: uti etiam intelligi volunt locum illum* liKi *lib.* Yuelim *fol.* 64. tien cu cien guei yu cion miao; hoc eſt: *Imperator obtulit munus piſcium in aula prædeceſſorum*

Regum

Regum nai guei me Ki Xe; *ut ſcilicet rogaret propter tritici ubertatem*.

§. 300. *Neque hi textus, & interpretes contra nos ſunt*, pergit P. Intorcetta; *nos enim non negamus priſcos ſolitos rogare pro populo, illos dumtaxat prædeceſſores Reges, quos ob eximiam virtutem, & amorem erga populum putabant ad ſedes beatorum avolaſſe, ac poſſe apud Supremum Cæli Imperatorem intercedere; ut conſtabit ex iis, quæ adducemus in expoſitione libri* Chùm yum. *Quod negamus eſt, Sinenſes rogare quoſcumque defunctos, illiſque tribuere divinitatem, aut numen aliquod; nam hoc neque ex libris conſtare poteſt, neque ex inſtitutione, aut praxi trium præcipuarum Sectarum.* Jù, Foè, & Faò, *vel* Laò-Cù, *ad quas reducuntur Sinenſes ferè omnes.* Ita P. Intorcetta jamdudum reſpondit.

301. Ad ſecundum à Navarreta productum ex cap. *Tve lim* fol. 11. uti dicitur in objectione, extat Re-

ſponſio

ſponſio apud eumdem P. Intorcettam pag. 211. Ubi ſic habet conſequenter ad ea, quæ proximè ex ipſo adducta ſunt: *Regum itaque Sinenſium*, inquit, *mos iſte ſemper fuit, ut pro communi neceſſitate populi, vel immediatè Supremum Cæli Imperatorem, vel Spiritus, vel prædeceſſores Reges virtute præclaros, tanquam interceſſores rogarent, rogareque iuberent ſuum populum, regnique Præfectos. Extat inter alios multos præclariſſimus ille locus* liKi, *lib.* Yue lim *fol.* 68. *ex quo hæc veritas confirmatur. Ibi dicitur*: Imperator juſſit populum, ut nemo eſſet, qui non omnes exhauriret ſuas vires, ut reverenter obſequium præſtaret regalis Cæli Supremo Imperatori, & præcipuorum montium, magnorumque fluminum, quatuorque mundi partium Spiritui, vel Spiritibus; ut item ſuis quoque honoribus colerent in Regiis aulis Præſides rei agrariæ, & frugum Spiritus; ut ita pro populo peteretur, vel impetraretur quies, ac felicitas; Vel ut dicti

dicti rei agrariæ præſides intercederent apud Summum Cæli Imperatorem pro populi felicitate.

§. 302. Itaque negant Miſſionarii Sinenſes Societatis, quòd fuerit in uſu apud Sinas petere à quibuſcumq; defunctis. Non negant autem factum id fuiſſe erga quoſdam defunctos ſpeciali titulo pro Sanctis habitos; quos & Sinæ adhibuere tanquam interceſſores apud *Xamti* Supremum Imperatorem pro Deo ab ipſis agnitum. Quam in rem affert ibidem P. Intorcetta locum alium ejuſdem libri *li*Ki fol. 64. quem & ait in idem recidere cum priore. Sic autem habet: Imperator juſſit habentes præfecturam, ut pro populo rogarent, oblationeſque offerrent montanorum fluminum, omniumque fontium terræ præſidibus. *Ipſe verò Imperator ad petendam pro populo pluviam in magno illo Sacrificio* yû *dicto, quod obtulit* Supremo Cæli Imperatori, *uſus eſt pleniſſimo concentu inſtrumentorum muſicorum: hoc, ut Interpres ait, conſtabat novemdecim*

variis

variis inſtrumentis muſicis. *Commentator in hunc locum ait: Id quod per* yû *literam ſignificatur, nihil aliud eſt quàm illud Sacrificium, quo tres Reges (ii ſcilicet, qui in Claſſe* San Vam *dictâ ponuntur) ſolebant petere pluviam*: per literam autem *Ti*, nihil aliud ſignificatur, quàm *Cæli Dominus, ac gubernator.* Alibi alius auctor *Vam fu* dictus *Tve*, ait: *Ti chè sẽm voẽ chĩ chù*; hoc eſt: Per literam *Tì* ſignificatur *Creator rerum Dominus*.

§. 303. Ubi & videre licet duplicem hallucinationem P. F. Vari in illa ſua adnotatione circa locum à Navarreta adductum. Prima eſt; quando Varus dixit in Catalogo illorum, à quibus Rex & Vaſſalli debent petere felicitates, nobiliori loco poni animas Progenitorum, quàm ſpiritus ſeminum, ſcilicet ut ait, *antecedenti*. Nam videtur ille pro duobus generibus ſpirituum accepiſſe *præſides rei agrariæ*, & *frugum ſpiritus*; itaut ſub nomine præſidum rei agrariæ intellexerit animas Pro-

ge-

genitorum, & ſub nomine Spirituum frugum, ſive ut ipſe vocat ſeminum, intellexerit alios Spiritus ab animabus diſtinctos; cum tamen pro uno eodèmque genere ſint accipiendi. Nam iidem erant Spiritus qui habe. bantur præſides rei agrariæ, & frugum, quique in Regiis Aulis colebantur; ut ex contextu manifeſtum eſt, & ut ipſa Grammatica indicare videtur.

§. 304. Altera hallucinatio P. Fr. Vari eſt in ipſa reprehenſione PP. Brancati, & Fabri, quos arguit, quòd citando locum illum *liKi* omiſerint extrema verba, quibus fit mentio de animabus defunctorum. Nam PP. Brancatus, & Faber non indigebant extremis illis verbis ad id, quod tunc intendebant; ſcilicet ad probandum Sinas antiquos habuiſſe notitiam verorum Spirituum, ac ſubſtantiarum ſpiritualium. Ergo poterant illa omit. tere ſine ulla nota reprehenſionis. Neque enim ibi quæſitũ erat de cultu defunctorum: & aliunde ſcitur agnitas ab illis Patribus fuiſse preces erga

ga certos quoſdam defunctos; ut conſtat ex locis paulò ante citatis P. Fabri, & P. Intorcettæ.

§. 305. Extat porrò hallucinatio quædam priori duarum præcedentium ſimilis in objectione, quæ refertur à P. Philippuccio in Explicatione 37. Textuum, ad tertium. *Notetur*, inquiunt Adverſarii, *in hoc textu, quòd in medio Spirituum Cæleſtium, & terreſtrium locentur Aui, ut digniores Spiritibus terreſtribus; à quibus omnibus deſcendunt felicitates.* Ac ſic Reſpondet P. Philippuccius: *Hic Textus nullo modo ſignificat Avos digniores ſpiritibus terreſtribus, collocari in medio ſpirituum cæleſtium, & terreſtrium. In hoc textu fit ſolùm mentio* Xamti, *qui hic nominatur* Hoâm hoâm heù tì. *Hæc quatuor verba, eorumque ſenſus non poſſunt hîc diſtingui. Duo priora de ſe non ſignificant* Cælum, aut Spiritum Cæli; *Duo poſteriora vel conjunctim, vel ſeparatim, non poſſunt ſignificare* Spiritum terreſtrem: *Si ita ſcriberentur* heù tù; *tunc ſignifica-*

rent Spiritum terræ : ſed hîc non ita ſunt &c.

§. 306. Ad tertium, quod dicitur adductum ex *liki* cap, *lilien* : Reſpondetur videri legendum non *ly-lien*, ſed *ly yun*: Nam extat re ipſa ſub hoc titulo locus adductus apud P. Philippuccium in *Explicatione* 37. *Textuum*, ad Textum 36. cum ampla reſponſione, qua oſtenditur ejuſmodi Textum cum ſuis gloſſis, & commentariis habere ſenſum omnino diverſum ab eo, quod Adverſarii intendunt. *Majoris claritatis gratia*, inquit ibi P. Philippuccius, *hîc referetur Textus, & commentarium integrum : & ita ſe habet :*

. . . .

. . . .

Ab initio uſque ad finem hic §. li yun *loquitur de collocatione inſtrumentorum, & aliarum rerum neceſſariarum, vel pro ſacrificiis ad ſpiritus, aut ſpiritum Cæli, vel pro oblationibus ad defunctos. Primò quidem, modum præſcribit diſponendi aquam, & varia vini genera, &*

præ-

præparationem animalium, quæ erant offerenda, cacaborum, diſcorum, cithararum, tympanorum, tintinnabulorum &c. Loquitur in particulari de præparatione compoſitionis rogationis ad ſpiritus, aut ſpiritum Cœli, & orationis funebris ad defunctos, & aliorum verborum, quæ Cùm chò *Orator illius functionis illi* Xi *(qui repræſentabat defunctum, cui fiebat illa ſolemnitas) dicturus erat, vel in rogatione ad ſpiritus, vel in oratione funebri defunctorum, vel annuntiando felicitates aſſiſtentibus, vel eos monendo ad ſe collocandos in loco ſibi cuique debito.*

§. 307. *Et deſcendendo ad particularia*, pergit P. Philippuccius, *Orator verba præparabat, quæ dicturus erat Regi, & ſubditis, ut eos hortaretur ad accipiendum locum ſibi convenientem: locus Patris erat ab Aquilone verſus Auſtrum; locus filii ab Auſtro verſus Aquilonem: manifeſtabat in hoc rationem, qua filius debet ſervire Patri, & Pater filium tractare, ut decet. Eodem modo do-*

 cebat

cebat fratres, quem locum tenere debebant; & Dominum Domus, in qua functiones erant faciendæ inſtruebat de modo offerendi epulas &c. offerendo primùm fratri majori natu, & poſtea aliis, proportione honeſtè ſervata. Eodem modo loquitur de differentia habenda inter ſuperiores juxta cujuſque gradum, & dignitatem, epulis unicuique per ordinem oblatis. Eodem modo circa maritum, qui eſſe debebat ſub ſcalis à parte Orientis, & uxorem quæ debebat præparare, & prævenire modum offerendi aſſiſtentibus potum. Concludit Textus dicens: Omnibus hoc modo diſpoſitis, & præparatis, omnia diſtribuuntur per ordinem cum cæleſti perfectione, id eſt, *cum magna perfectione.*

§. 308. *Hæc eſt verſio præſentis textus, & ejus commentarii; & ne ea videatur gratis facta, aut ad arbitrium; per partes declarabitur.*

Primo de præparatione Chò, *ſeu orationis funebris, & aliorum verborum, quæ dicturus erat præfatus Ora-*

Orator, ad quem omnia ſpectabant, conſtat ex libro Cheù li *nono* Kiven, *titulo* tà chò *(cujus facta fuit mentio in reſponſione ad textum* 14.) *&* *in ſequentibus titulis, ubi reperitur, hunc Oratorem non ſolùm curam habuiſſe de rogatione adſpiritus, quos Sinæ adorant; ſed etiam de orationibus funebribus ad defunctos, & de aliis rebus, de quibus agendum erat in variis rebus politicis, de conſultationibus Regulorum, de tractandi modo ad invicem, aut de functionibus publicis inter ſuperiores, & inferiores, conſanguineos, & extraneos &c. Quapropter in hoc textu dicitur, ab hoc Oratore diſponendum fore* Cho*, ſcilicet rogationes ad ſpiritus, orationem funebrem ad defunctos; & quod erat dicturus ad diſponenda aſſiſtentibus loca. Præparatio* Kia*, aut annuntiatio felicitatum pertinebat ad* Xi *qui repræſentabat defunctum. Hujuſmodi compoſitiones multæ ſunt in* Xi Kin*, quarum una eſt in textu tertio ſuprapoſito, ubi declaratus eſt ſenſus, in quo erat accipienda.*

§. 309. *Secundo, quod ait textus:* y Chim Kiun Chin : *ex litera* y *conſtat textum proſequi materiam, quam Orator debebat præparare, aut diſponere : & quod ſequitur poſt literam* y, *totum pendet ex verbo* Sieu, *quod ſignificat diſponere ; & ita clarum eſt, quod ſequitur, non eſſe de materia rogationis, ut ait adnotatum, ideſt objectio Adverſariorum ; ſed de materia, circa quam facienda erat diſpoſitio, cujus curam habebat præfatus Orator &c.*

§. 310. *Tertio quoad concluſionem præſentis textus, quæ dicit* : Xi guey Chim, tien chi hù : *Adnotatum*, id eſt, obiectio, *ita explicat, ut hoc ſit* recipere Cæleſte auxilium, favores, & proſperitates Cæleſtes : *ſed prædictæ literæ hoc non ſignificant. litera* hu *videtur ſimilis, ſed eſt diverſa à litera* yeu, *quæ ſignificat auxilium. litera* hu *habet ſignificationem literæ* fò : *& ambæ in hoc loco ſignificant perfectionem, aut opus perfectum ; ut dictum eſt de litera* fò *ad Adnotatum* 12., *&* 23. *Ideo præ-*

ſens textus hoc dicit: præparatis, & diſpoſitis omnibus relatis in dictis functionibus, totum manet diſpoſitum, & diſtributum per ordinem ſuum cum perfectione Cæleſti &c. Quemadmodum etiam fuſiùs ſupra relatum eſt. Ita videlicet ſe habet ſecundum P. Philippuccium Textus ille *ly yun*, qui proinde nihil habet, quod Adverſariis faveat.

§. 311. Mitto quod habet idem P. Philippuccius in Adnotationibus ſuper *liKi*: Ubi teſtatur in illo capite *ly yun*, ex quo Adverſarii ſuum illum Textum deſumpſere, plurima notàri à Commentatoribus Sinenſibus, tanquam ſpuria, & aliena à Doctrina Confucii, aliorumque ſuorum ſapientum; quæ proinde à Sinis non habentur tanquam authentica.

§. 312. Ad quartum ab Adverſariis adductum, ut dicunt, ex *li*Ki cap. *Chyſa*: Reſpondent PP. Societatis hunc locum eſſe eumdem cum illo, ad quem ſub nomine textus octavi Reſpondit P. Philippuccius *in*

Explicatione 37. *Textuum*: Ubi licet aliqua ſit diverſitas inter expoſitionem ibi factam ab eo qui Textum illum opponebat in China, & inter eam, quæ nunc ex Varo producitur; at perinde valet adverſus utrumque iſta Reſponſio, uti ex ipſa patebit. *Senſus Textus*, inquit, P. Philippuccius, *eſt valdè diverſus ab eo qui dicitur in aduotato*, id eſt, in expoſitione facta ab Adverſario. *Textus refert ordinem ſeptem* miao: *Commentator probat Textum debere dicere quinque, & non ſeptem* miao, *vel Aulas Defunctorum, per ordinem aſcendentium Patris, Avi, Atavi &c. uſque ad primum Avum familiæ fundatorem: quorum unuſquiſque habet ſuum proprium nomen; & nomina ſibi mutant juxta incrementum aſcendentium. Ex gr. ex Patre fit Avus, ex Avo fit Atavus, quouſque diſtent, & maneant extra ordinem ſeptem, vel quinque* miao, *ſeu Aularum, & duorum* Tan, *quæ erant loca diverſa, à* miao. *Tunc non habebant oblationes particulares, neque oratio-*
nes,

nes, aut compoſitiones funebres : & qui hæc duo non habebant vocabantur Guèy.

§. 313. *Hinc eruitur,* inquit idem P. Philippuccius, *adnotatum*, hoc eſt objectionem *non concordare cum textu, & contrarium dicere. Textus enim dicit, quòd quando defunctus eò pervenit, ut ſit* Guey, *non habet propriam oblationem, nec orationem funebrem (aut rogationem, ut loquitur adnotatum) Et Adnotatum dicit, quòd defunctus aſcendit per ſuos gradus ad eſſe* Guey, *ut ei fiant rogationes. Duæ literæ* Ki tao, *videtur magis proprium, ut in præſenti textu explicentur per orationem funebrem, quàm per rogationem; eo quòd Commentator textus illam alio nomine vocat* Ven, *quod ſignificat compoſitionem literariam, & oratoriam.*

§. 314. *Præterea idem Commentator in Commentario ſecundi* §. *ſubſequentis poſt hunc textum, qui incipit:* Iis duabus literis ta fu, *loquendo de tempore, quo facienda*

ſit

ſit oblatio defuncto hujus ſpeciei Mandarini vocati tà ſu, *&* *de tempore, quo non eſt facienda, ait* . . .
. . . .
Id eſt: *quando Tritavus (videlicet ejus tabella) eſt ablatus à ſuo proprio* miao, *aut Aula, tunc non poteſt recipere oblationem in loco vocato* Tan; *neque ei poteſt fieri oratio funebris, eo quòd ille eſt jam* quei. *Hinc deducitur, quòd ſi tò* Ki tao *eſſet oratio religioſa, &* *facta ſeriò cùm ſpe impetrandi felicitates, Sina earum percupidus non apponeret limitationes temporum, quando poteſt fieri, vel non. Quapropter* Tò *Ki* tao, *propriè vocari videtur oratio funebris cum laudibus defuncti, cum deprecationibus, ſeu apoſtrophis rhetoricis, &* *cum oblationibus; prout fit in Europa; ubi hæc vocantur orationes, &* *habent diverſum ſenſum ab illo, quo Eccleſia accipit hoc verbum* Oratio. *Sicuti igitur inter Europæos hoc verbum habet ſenſum aut religioſum, aut politicum, ita inter Sinas* Tè *Ki* tao.

§. 315.

§. 315. Ex hac P. Philippuccii Reſponſione patet, dupliciter erraſſe Varum in allegatione Textus illius ex *liKi*, cap. *Chi fa*; nimirum primo quando orationem funebrem pro vera oratione deprecatoria accepit. Secundo quando dixit haberi in Textu, quòd fieri poſſit oblatio, & oratio illis defunctis, qui ſeptimum jam gradum anteceſſerint, quod utrumque falſum eſſe ibidem oſtenſum eſt.

§. 316. Atque id etiam magis confirmari, ac declarari poteſt ſubjuncta Reſponſione ejuſdem P. Philippucci ad Textum nonum *in ſua Explicatione* contentum: quo dicitur *gentem ordinariam, ſeu fuerint literati, ſeu ex plebe, ſtatim ac moriuntur, fieri guey*: Ex quo inferebant rituum Sinicorum Impugnatores, quòd ex vi Textus præcedentis, poterat hujuſmodi genti fieri ſtatim oblatio cum oratione deprecatoria, quam ſcilicet nomine *Ki tao* intelligebant. Sic autem illos redarguit P. Philippuccius: *In hoc adnotato*, inquit, *de*

deducitur conſequentia contraria præmiſſis Textus. Præmiſſæ ſunt: Defunctus qui non habet *miao*, ſeu Aulam, & vocatur quei, non habet oblationes, neque orationem funebrem, aut rogationes &c. *Sed gens ordinaria non habet miao, & vocatur* quei. *Ergo gens ordinaria non habet rogationem &c. Conſequentia eſt in forma, & ex Diametro oppoſita illi, quam deducit adnotatum, quod dicit*: Tunc videtur, quod jam habebunt *Ki* taò, aut rogationes: *major præmiſſarum eſt Textûs octavi; minor eſt præſentis.*

§. 317. *Commentator hujus Textus addit, quòd etiamſi ex vi textus gens ordinaria non poſſit facere oblationes, Orationem funebrem, aut rogationes, nihilominus ei permittuntur oblationes: ſed non dicit, quòd ei permittatur Oratio funebris, aut rogatio. Ergo Adnotatum nihil in ſui favorem poteſt deducere, nec ex textu, neque ex Commentario.*

§. 318. *Cum hoc textu, & Commentario*, ſubdit P. Philippuccius,

magis

magis confirmantur ſupradicta, ideſt, quòd Kitao *eſt mera cæremonia, negata etiam majori parti Sinarum, & ſolùm conceſſa Magnatibus, & Mandarinis; neque ex hoc textu probari poſſunt ſeriæ rogationes Sinarum ad ſuos defunctos, neque ſpes in illis.*

§. 319. Ad quintum ab Adverſariis adductum ex libro *Xu King*, cap. *tien pao*, aliiſque ejuſdem libri locis: Reſpondent PP. Societatis videri jam ſatis reſponſum ex iis, quæ ſuprà pluribus in locis allata ſunt ex P. Philippuccio. Attamen ne videantur ita loqui quaſi ad ſubterfugiendum, ecce ſpeciales ad ſingula Reſponſiones, quas abundè ſuppeditat ſcriptum P. Philippuccii jam ſæpius citatum, cujus Titulus eſt: *Explicatio 37. Textuum*.

§. 320. Itaque primo ad locum illum à P. F. Varo extractum, ut dicitur, ex libro *Xu King*, cap. *tien pao*, valet Reſponſio à P. Philippuccio data ad Textum 12. in citata Explicatione contentum; qui eſt prorſus idem cum illo P. Vari loco.

Ad-

miratione dignum eſt, inquit, *quòd adducatur hic textus ad probandum, oblationes defunctis factas, ſecum trahere proſperitates, quæ explicentur cum litera* 福: *dicente eodem textu, quòd illa litera illic non ſignificat proſperitates, aut felicitates, ſed perfectionem in agendis talibus oblationibus. Textus hoc explicat variis exemplis non relatis in eo contextu quem adnotata citant. Præterea in textu ne per umbram quidem nominatur ſanctitas, ut affirmat adnotatum, ſed ſolùm perfectio, & conſenſus omnium actionum oblationis ad defunctos, ut bene fiat. Et hæc perfectio in operando non eſt retributio temporalis, aut ſpiritualis* Ci, *ſed modus, quo benè fiat.*

§. 321. *Ultima periodus hujus Textus*, ſubjungit P. Philippuccius, *validè probat ſententiam, quæ ſtatuit politicum eſſe cultum defunctis exhibitum inter Sinas; & eſt omnino oppoſita alteri, quæ affirmat, Sinas petere favores à ſuis defunctis in ſuis oblationibus. Nam hic Textus è con-*

è contra dicit: pu Kieu, *ideſt*, *non petere*, Ki guei; *ideſt*, *eſt finis*, *&* *intentum filii obſequentis in oblationibus*, *&* *aliis cæremoniis ad ſuos defunctos*. *Hæc eſt genuina*, *&* *formalis ſententia eorum qui defendunt politicum eſſe cultum erga defunctos in Sinis*, *omnino oppoſita alteri*, *quæ contrarium aſſerit*. *Commentator hujus textus*, *etiam ultra progreditur*, *&* *non ſolùm excludit actum petendi*, *ſed etiam animum petendi*; *&* *id confirmat cum alio textu ex capite* li ki *validiori in favorem opinionis cultus politici*, *quod dicit*: oblationes eſſe ſine petitionibus, & rogationibus: *Et hæc verba referuntur in ſequenti textu* 14.

§. 322. Secundo ad locum Vari ex libro *Xu Kim*, ſeu potiùs *Xi King*, extractum de Rege *Venvam*, pertinet reſponſio P. Philippuccii ad Textum ſecundum in Explicatione 37. Textuum contenta, quæ ſic habet: *Antiqui Sinenſes reputabant* Venvam *hominem Sanctum aſſiſtentem in Cælo cum* Xam ti. *Hoc ſuppoſito*

poſito Commentator (non Textus allegatus) dicit filios , & nepotes Venvam *accipere illius beneficia .*

§. 323. *Ex hoc textu* , inquit P. Philippuccius , *non infertur Sinas petere , & ſperare aliquid generaliter à ſuis defunctis , ut intenditur in obſervationibus . Infertur quidem Sinas credere virtuoſos in Cælo frui gaudiis* Xam ti . Et inde ſuccurrere hominibus ; & hos recipere ab illis beneficia : quæ omnia nihil faciunt ad intentum obſervationum : quæ ſcilicet ad omnes defunctos generaliter ſpectare debent .

§. 324. Tertio ad locum ejuſdem Vari de Principe *Cheucum* valet reſponſio P. Philippuccii ad Textum primum in citata Explicatione 37. Textuum contentum ; quæ ſic habet: Cheu Cum *orat* San Vam *majores ſuos defunctos , ut ſi illi curant apud Cælum protectores eſſe nepotis ſui* Vu Vam , *fratris* Cheu Cum , *liberent fratrem ſuum ab infirmitate , & ut loco illius moriatur ipſe . Hæc petitio nititur ſuppoſitione , quòd* San Vam *ſunt*

ſunt in Cælo cum Xam ti ; *& ideo* Cheu cum *illos rogat, ut ſint interceſſores &c.*

§. 325. Et paulò inferiùs ſic habet P. Philippuccius: *Quod* Cheu cum *recognoſcat abſolutum dominium* Cæli, *ſeu* Xamti, *conſtat ex eodem Textu, in quo* Cheu cum *dicit*, Vu Vam, *fratrem ſuum accepiſſe Regni gubernaculum à Curia* Xamti ; *& rogat* San vam, *ne permittant ut* Vu Vam *perdat poſſeſſionem doni, vel beneficii regnandi à* Cælo *ſibi dati. Ac denique*, inquit, *ex hoc Textu non poteſt deduci generalis conſequentia, quòd Sinæ petant à ſuis defunctis; ſiquidem in illo cadere non poteſt id quod* Cheu cum *aſſerit de* San Vam: *cum & idem* Cheu cum *illos roget ſub ea conditione; nimirum, ſi quid valeant apud* Cælum. *Totum conſtat ex textu.*

§. 326. *Neque verò*, ſubdit P. Philippuccius, *ex indebita veneratione aliquorum defunctorum particularium, quos Sinæ ut Sanctos, aut ut idola colunt, inferri generaliter*

 poteſt

poteſt, Sinas eodem modo venerari omnes ſuos defunctos: ſicut ex cultu Catholicorum erga Sanctos inferri non poteſt cultus erga alios omnes defunctos.

§. 327. *Idem reſponſum*, inquit idem, *applicari poteſt annotationi ad ſecundum textum, tùm generaliter omnibus textibus, ubi ex aliquo caſu particulari, & extraordinario deducitur conſequentia generalis, & univerſalis. Certum enim eſt v. g., quòd de Sancto Ludovico Rege Galliæ, & multis aliis, dici poteſt in ſenſu Catholico, quòd ſecundus textus citatus dicit* de Ven Vam; *quòd ad latus Dei ſit inſeparabiliter, quòd nepotes ſui ab eo petant, ſperent, & conſequantur felicitates &c. Et tamen inferri non poteſt univerſaliter pro omnibus Catholicis, hæc conſequentia*: Quomodo non ſperabunt auxilium ab avis ſuis?

§. 328. Quarto ad locum de Rege *Chim tam* à P. Fr. Varo, ubi ſuprà, allegatum, extat item reſpon-

ſio

ſio P. Philippuccii in Explicatione jam ſæpius citata 37. Textuum, ad textum 28. Ubi poſtquam dixit non bene inferri poſſe ex quodam poëmate adulatorio in honorem Imperatoris *Chim tam* defuncti compoſito, quid reverà credant Sinæ de animabus ſuorum defunctorum; ita ſubdit: *Quod ſi velimus tamen poema iſtud ſupponere, tanquam unum ex articulis fidei Sinarum, deprehendemus ex Commentatore cognominis* Hoam, *nihil in illo eſſe in favorem Adverſariorum. Nam in primis,* inquit P. Philippuccius, *Commentator ſuper duabus literis* liẽ Cu *quibus hîc nominatur* Chim tam, *ita dicit:* . . . . *Videlicet:* hæ duæ literæ *lie Cu* ſunt ſummi ponderis in ſua ſignificatione, & neceſſe eſt ut exprimant quamdam inſignem virtutem: tunc (Chim tam) habebit peculium, ſeu Vires, quibus poſſit adjuvare. *Deinde Commentator dicit animam* Chim tam *eſſe in Cælo per hæc verba, quæ ſequuntur:*

tur : . . . .

. . . .

§. 329. *Item quod dicit textus, ſcilicet* Chim tam *defunctum deſcendere ad fruendum oblatione, ſic explicat Commentator* : . . . .

. . . .

. . . . *Videlicet* : Iſte ultimus articulus hujus operis continet quoddam deſiderium, ut Imperator defunctus fruatur his oblationibus, quæ ipſi offeruntur. *Cum hac ſuppoſitione, quod* Chim *ſit magnus Sanctus, qui ſit in Cælo* ; *&* *cum explicatione deſiderii, ut fruatur oblationibus, ſatis apparet*, inquit P. Philippuccius, *quàm parum faveat Textus adductus adnotato*, id eſt, *objectioni Adverſariorum. Neque poteſt ex vi hujus textus confici univerſalis propoſitio, quòd Sinæ credant defunctos venire ad fruendum oblationibus.*

§. 330. *Quod attinet ad phraſim textus* Kiam fo Vu Kiam : *id eſt* : concedere felicitates abſque termino; *vel accipitur pro pura cæremonia*,

&

& pro verbis nihil ſignificantibus; *ut viſum eſt in reſponſione ad textum tertium*: *vel ſeriò accipitur*, *& nititur ſuppoſita Sanctitate* Chim tam, *omnia intelligendo ſano modo*. *Alii textus* Xi Kim, *qui habent eamdem phraſim*, *ſi propoſiti fuerint*, *habebunt ſuam reſponſionem*.

§. 331. Ad ſextum de variis illis orationibus, quæ extare dicuntur in *Kiali* ad Progenitores defunctos: Reſpondent PP. Societatis, quod jam ſupra ſæpius reſponſum eſt ex P. Philippuccio; qui & ſic habet ad rem præſentem *in Explicatione 37. Textuum ad Textum* 20. *In Reſponſione*, inquit, *ad adnotatum textuum* 4. 5. 6. 7. *ſatis dictum eſt*, *quàm parvi faciendæ ſint rogationes interpoſitæ in* Kiali; *& ſi ipſæ habent aliquem bonum ſenſum*, *ſunt puræ Cæremoniæ*, *& nihil ſignificant*, *niſi quandam fauſtam acclamationem fortunarum*, *ac felicitatum*, *quas* Cum Cho, *ſive Orator*, *&*, *ut meliùs dicam*, *lector Orationis funebris*, *per hæc verba pre-*

 catur

catur aſſiſtentibus dictæ functioni oblationum. Videantur reſponſa ad textus 28. 35., & alios; ubi hoc clarè explicatur. Et ne ab hoc textu egrediamur, notetur ſolemne mendacium, ſeu fictio Oratoris, *qui dicit Avum, & parentem defunctum ſibi juſſiſſe, ut publicaret has deprecationes felicitatum &c. Ad hoc verificandum, neceſſe eſt, ut dentur apparitiones, aut revelationes; ideòq; clarè patet mendacium eſſe, & omninò puram eſſe cæremoniam, atque, uti nos dicere ſolemus, vulgarem modum loquendi. Neque eſt omittendum advertere, quòd illud quod in objectionibus toties appellatur* Ci, *ideſt*, Sacrificium, *in reſponſionibus appellatur* oblatio. *Ratio hujus dabitur in ſcriptura ſeparata, ubi plenè explicabuntur ſenſus literæ* Ci.

§. 332. Rurſus verò de hoc ipſo loquens P. Philippuccius in reſponſione ad textum 26. *Reſpondetur*, inquit, *primò de minima authoritate libri* Kiali *factam eſſe mentionem in reſponſione ad textum 7. Secundò*

cundò ritus matrimoniorum Sinicorum petere quæſtionem ſeparatam; & ſi voluerint, demonſtrabitur ritus attinentes ad oblationes cæteraſque cæremonias, quæ in illa occaſione fiunt ad defunctos, eſſe politicas, & mere cæremoniales. Modò interim videatur ſequens textus, & ejus Commentarium . . . .
. . . . Explicatio textus ſic eſt: Antiqui faciebant magni ritum, in quo juvenes ſolemniter accipiebant birretum virile (erat aliquid æquivalens prætextæ antiquorum Romanorum) faciebant magni hunc ritum; ideo faciebant hanc functionem in Aula majorum defunctorum. Faciebant hoc in dicta Aula ad honorandam rem, quam magni faciebant. Honorando hanc rem, quam tanti faciebant, non audebant eam facere ſecundum propriam voluntatem abſque petita venia, ſeu facultate. Non audebant facere rem tanti ponderis abſque venia, ut ſeipſos humiliarent, & honorarent majores ſuos defunctos.

§. 333. *Hoc ipſum clariùs*, ſubdit P. Philippuccius, *& univerſaliùs explicat commentarius dicens*: . . . . *Antiqui rem omnem, aut functionem alicujus momenti faciebant in Aula majorum, ritus Matrimoniorum, recipiendi arrhas ſponſalitias, & excipiendi conſanguineos ad illam functionem, & præbendi more Domini domus convivia in illa occaſione; hæc omnia fiebant in Aula majorum. In ritu viſitationum, quas Mandarini faciebant ad Regem; hic perſonaliter eis ibat obviam, ac eiſdem ſe ſe inclinabat extra majorem januam, eoſque excipiebat in dicta Aula majorum. Quando Rex diſtribuebat officia hominibus virtuoſis, & reditus hominibus meriti inſignis, ipſe propria manu ſcribebat gratias à ſe factas, in dicta Aula. Incipiente functione alicujus funeris, ibatur ad præſtandum reverentiã* Miao, *ſeu dictæ Aulæ Majorum. Hæc omnia fiebant, ut oſtenderetur haberi majores defunctos in honore: quaſi nemo*

nemo auderet quidquam facere ſecundum propriam voluntatem, abſque hoc actu ſubjectionis, quo petiiſſet veniam à ſuis majoribus defunctis.

§. 334. *Ritus accipiendi birretum eſt principium officiorum, & commercii humani, neque poteſt prætermitti tanquam res parvi momenti. Filius obſequens honorat parentes: cùm præ manibus habet negotium alicujus ponderis, ſine mora faciat hujus participes parentes, & poſtea executioni mandet ſuum negotium. Mortuis parentibus, hoc ipſum exercet in Aula defunctorum eodem affectu, ac intentione, quam habebat, id faciens in vita parentum: ideoq; magnum obſequium filiale per totam vitam filii obſequentis manet cum amore, ac deſiderio erga ſuos parentes; & non eſt, quod dici poſſit, quod mortuis parentibus pereat iſte affectus per totam vitam filii obſequentis.* Hactenus verſio Textus, & commentarii.

§. 335. *Ex hoc textu, ejuſque commentario infertur*, inquit P. Philip-

lippuccius, *quæ fuerit antiqua inſtitutio, & intentio Sinarum, in facienda reverentia parentibus defunctis in eorum Aulis, & in exercendis cæremoniis matrimoniorum &c. nempe omnia conſiſtebant in honorandis parentibus defunctis, ac ſi viverent. Neque dici poteſt eos illuc acceſſiſſe tanquam ad Oracula delphica, ut inſtruerentur de iis, quæ exequi deberent: neque enim ſit aliqua mentio petitionum, aut ſpei obtinendi beneficia. Antiqui Sinæ de hoc non agebant, ſed tantum erat illis cura ſatisfaciendi affectui amoris, & deſiderio ſuo erga ſuos defunctos.*

§. 336. Neque eidem P. Philippuccio incognitæ fuere objectiones illæ, quæ eodem illo nu. 6. dicuntur à PP. FF. Varo, & Navarreta petitæ ex *Kya yu*. Nam & apud illum extat ad eas Reſponſio *in citata Explicatione* 37. *Textuum*. Ac primò quidem contra id quod dixerunt de prætenſis illis orationibus ad Progenitores defunctos in *Kia yu* con-

contentis, facit quod habet P. Philippuccius in principio Reſponſionis ad Textum 26. Ubi dicit non referri ad Adverſariis principium hujus Textus, à quo pendet, *inquit*, totus illius ſenſus. *Nam Textus integer ita loquitur: Ritus, leges, & cætera hujuſmodi, certè originem ducunt è Cælo, & perveniunt ad terram. Extenduntur ad* quei Xin, *ſive ſpiritus, & complectuntur funera, oblationes ad mortuos, exercitium emittendi ſagittas, & domandi equos, morem accipiendi birretum virile, & contrahendi matrimonium, inviſendi Regem, & dona mittendi. Ideo viri ſapientes docent iſtos Ritus, ut eo modo poſſint Regna rectè adminiſtrari.* Hactenus Textus.

§. 337. *Satis manifeſtè apparet,* inquit P. Philippuccius, *nihil eſſe in hoc textu, quo ſtabiliatur ſpes in* Ci, *ſeu in oblatione funebri, & in reliquo avorum cultu: ſed aliquid è contrario eſſe, quo confirmetur ſententia oppoſita; quemadmodum declarat illius Commentarium dicens:*

Octo res de quibus Textus agit, ſcilicet funera, oblationes ad mortuos, exercitium jaculandi, & equos domandi, morem accipiendi birretum virile, contrahendi matrimonia, inviſendi Regem, & dona mittendi, omnes eſſe ritus, & regulas humanas, hoc eſt, politicas. *Ponit enim illas omnes æqualiter in eadem claſſe, & ſub eodem genere politico. Cum ergo in eadem Categoria collocentur ex mente Sinarum funera cum oblationibus ad mortuos, & arte jaculandi, atque equos exercendi, non datur nobis locus attollendi ad aliud genus ordinis ſuperioris, ſeu religioſi, aut ſuperſtitioſi, ritus funerum, & oblationum ad defunctos inter Sinas.*

§. 338. *Nec dicas commentarium loqui de oblationibus ad mortuos, tanquam de re ſuperante reliquos omnes ritus politicos, de quibus loquitur. Nam neque in hoc ſenſu quidquam eſt*, pergit idem P. Philippuccius, *quod faveat prætenſioni Adverſariorum; quoniam cum inter Sinas,*

Sinas, & in toto terrarum orbe ex inſtitutione, ac doctrina legis Divinæ naturalis, & poſitivæ, nobiliſſima ſit rerum humanarum honorare parentes vivos, & mortuos; Textus dicit hunc honorem, & affectum, & obſequium erga parentes mortuos præſtitum in oblationibus, rem eſſe maximi ponderis inter illas omnes, de quibus mentionem facit.

§. 339. *Quòd autem in Textu dicatur*, ſubdit idem, *ex obſervatione rituum circa res ibi commemoratas, provenire felix regimen Regni; certè poſito illo principio quòd omnes hujuſmodi ritus, tametſi humani, univerſim originem à Cælo ducant, eo quòd procedant ex dictamine rationis, quod à Cælo, ſeu Deo inditum eſt; bene poteſt felix regimen inde provenire hominibus ſe cum illo dictamine regentibus. Sed hoc quid ad nos, & ad noſtram quæſtionem?*

§. 340. Secundò contra id, quod dixit Navarreta num. illo ſexto de antiquitate, & authoritate prædicti libri K*ya yu*, cujus & authorem fecit

fecit Confucium : contra id, *inquam*, eſt quod habet P. Philippuccius in ſua Explicatione 37. Textuum , ad Textum 30. ubi facit ſibi hanc objectionem : *Sed obiicies : Hæc eſt doctrina Confucii , quæ invenitur in textu citato* Kia yu . *Reſpondetur*, inquit, *quoad* Kia yu *videatur proœmium* Kia yu *impreſſum per* Cham min piè ; *& videbitur nullam fidem adhibendam eſſe huic libro . Primo quia non eſt opus immediatè Confucii . Secundo quia neſcitur qualis ſit verus* Kia yu ; *ſunt enim multi inter ſe diverſi . Tertio quia ſæpius depravatus eſt , ſublato meliori , & relicto pejori . Concludit proœmium* : Et ex doctrina Confucii quid in eo libro remanebit ?

§. 341. Ad ſeptimum ex Navarreta adductum de diſpoſitionibus , & effectibus oblationis *Ci*, quatenus hoc applicatur oblationibus mortuorum: Reſpondent PP. Societatis ex P. Philippuccio in ſupradicta Explicatione triginta ſeptem textuum , ad textum duodecimum : ubi reſpondet huic obje-

objectioni petitæ ex libro *Xi Kim*. Ex ea reſponſione aliquid jam ſupra attulimus ad probandum litera *fo* non ſemper ſignificari proſperitatem, aut felicitatem: quia ſcilicet, ut notat ibi P. Philippuccius, Textus ipſe, de quo agitur, expreſsè dicit quòd illa litera non ſignificat hìc proſperitatem, aut felicitatem, ſed perfectionem in agendis talibus oblationibus. *Textus id explicat*, inquit, *variis exemplis, quæ minimè referuntur ab iis, qui Textum opponunt.*

§. 342. *Præterea in Textu*, inquit P. Philippuccius, *ne per umbram quidem nominatur Sanctitas* (per modum ſcilicet diſpoſitionis) *ut Adverſarii affirmant, ſed ſolùm perfectio quædam, & conſenſus omnium actionum ad ejuſmodi oblationes pertinentium, ut ritè fiant: & hæc perfectio in operando non eſt retributio temporalis, aut ſpiritualis* Ci, *ſed modus quo bene fiat.*

§. 343. *Ultima periodus*, ſubdit P. Philippuccius, *validè probat ſen-*

ten-

tentiam , quæ ſtatuit politicum eſſe cultum defunctis exhibitum inter Sinas ; & eſt omnino oppoſita alteri , quæ affirmat , Sinas petere favores à ſuis defunctis in ſuis oblationibus . Nam hic textus è contra dicit : pu Kieu , *ideſt* , non petere . *Ki* guey *eſt finis , & intentio filii obſequentis in oblationibus , & aliis cæremoniis ad ſuos defunctos . Hæc & genuina , & formalis ſententia eorum , qui defendunt politicum eſſe cultum erga defunctos in Sinis , omnino oppoſita alteri , quæ contrarium aſſerit. Commentator hujus Textus etiam ultra progreditur , & non ſolùm excludit actum petendi , ſed etiam animum petendi ; & id confirmat cum alio textu unius capitis* li Ki , *validiori in favorem opinionis cultus politici, quo dicitur* : Oblationes eſſe ſine petitionibus , & rogationibus : *Et hæc verba referuntur in ſequenti textu* 14.

§. 344. Ad id verò , quod eodem num. 7. à Navarreta productum eſt ex li Ki , abſque ulla tamen ſpeciali loci

loci expreſſione: extat Reſponſio P. Philippuccii in explicatione 37. Textuum ad Textum 14. quem, & paulò ante indicavit: ubi & videre licet ingentem hallucinationem & Navarretæ ipſius, & illorum qui eumdem textum jam ante in China oppoſuerant; ut qui duo nomina Mandarinorum pro *orationibus, ſeu rogationibus magnis, & parvis* acceperunt. En tota, ut jacet, Reſponſio P. Philippuccii ad illum textum.

§. 345. *Hic textus habet,* inquit, *ſenſum valdè diverſum ab eo, qui exprimitur in objectione. In textu primùm dicitur oblationes non habere petitiones: & hoc ipſum eſt, quod dicit opinio affirmativa ritus politici. Poſteà dicit textus faciendas eſſe oblationes juxtà ritus jam determinatos ſine anticipatione temporis, & ſine nimia attentione ad excellentiam, magnitudinem, & multitudinem rerum oblatarum: & hoc nihil efficit priori dicto, quod oblationes ſint ſine petitionibus. Textus*

 nihil

nihil prætereà dicit: eamus ad commentarium.

§. 346. *Commentarius ità dicit: oblationes habent ſuum ritum fixum ac perpetuum, non ad petendas felicitates particulares. In libro* Cheu li *Mandarinus vocatus* ta cho (*objectio hunc Mandarinum appellat rogationes magnas*) *curam habet de* lo Ki, *hoc eſt, de ſex petitionibus: & Mandarinus vocatus* ciao cho (*objectio vocat iſtum Mandarinum rogationes parvas*) *curam habet de componendis petitionibus proſperitatũ, & felicitatum. Hæc omnia ſuam habent rationem. Ita operari non pertinet ad oblationes ordinarias. Hactenus commentarius.*

§. 347. Ex *qua infertur*, concludit P. Philippuccius, *quòd ſi in iſto textu agatur de oblationibus ad defunctos, primò ſtatuitur non debere eſſe petitiones, contra aſſumptum objectionis: poſteà Commentarius id confirmat, & ab hac regula excludit, quod citat ex libro* Cheuli, *qui agit de rogationibus, quæ fieri debent*

bent non ad defunctos, ſed ad ſpiritus quei xin Ki, *ideſt, ad ſpiritus in genere, & ſpiritus terreſtres. Videatur* Cheuli 9. kiven, *ſive lib.* 6. *tit.* ta cho, *& tit.* Ciao cho. *Ac tandem clarum eſt hunc textum multa dicere pro ſententia cultus politici, & nihil contra illam.*

§. 348. Denique ad id, quod ſubjunctum eſt numero illo 7. à P. Fr. Navaretta ex *li Ki* de tribus illis rebus in oblatione *Ci* contentis: Reſpondet P. Philippuccius in ſua explicatione 37. Textuum, ad textum decimum: *Hic textus*, inquit, *nihil facit ad intentum noſtræ quæſtionis; eo quòd non loquatur in particulari de oblationibus ad defunctos, ſed de ſacrificiis ad alios ſpiritus, quos adorant Sinæ. Hoc declaratum manet per textus* cheu ly Kiven, *ſive lib. 9. in titulo* ta cho *applicatur ſpiritibus* quei vin Ki, *ideſt, ſpiritibus in genere, & ſpiritibus terreſtribus in particulari, quòd petantur ab illis felicitates, cum quibus ſubvenit Cælum, proſperitates*

continuæ, & anni alimentis abundantes. Textus ità loquitur . . . . In eodem Cheu li, *lib.* 8. *titulo* yo cham, *petitur annus abundans à* Tien cu *ſpiritu prædiis præſidente. Textus ità loquitur . . . . . . quoad alimentum,* Cò, *de quo agitur in* xi kim *citato à commentario, in variis locis librorum claſſicorum Sinarum dicitur, quòd petatur à* xam ti *videatur in particulari initium capitis* yue lim, liki.

§. 349. *Quòd objectio affirmat, peti ut avertantur calamitates, & quod majus eſt, peccata*, ſubdit idem P. Philippuccius, Cheu li *lib.* 9. *tit.* Siao Cho, *præterquam quòd non applicat illud defunctis, diverſimodè explicat duas literas* yuen cui, *quas Adnotatum interpretatur de avertendis peccatis; quia commentator dicit literam* cui *ſignificare triſtitias, & mæſtitias, quas homo in ſe patitur, aut contrahit. Commentarius ità dicit . . . . Ergo clarum eſt hunc textum* 10. *nihil facere ad intentum noſtræ quæſtionis.*

§. 350

§. 350. Eodem pertinet, quod habet idem P. Philippuccius in Reſponſione ad textum ſequentem, ſcilicet undecimum; ubi ità loquitur: *In reſponſione ad praecedens adnotatum apparuit tria illa mirabilia, & proficua* ci *non pertinere ad oblationes factas defunctis, de quibus agunt adnotata. Hic textus etiam nihil probat ad intentum, quia ejus commentarius ità dicit* . . . . . Scilicet ſubſtantia harum oblationum poſita eſt in exhauriendo affectu cordis: hanc virtutem requirit, & nihil amplius. *Quoad puritatem animi de ea nihil agitur in textu, neque de re ulla, quæ excedat terminos, ac finem politicum.*

§. 451. Hactenus reſpondiſſe ſe putant PP. Societatis, ad omnes Textus nuper productos ex PP. FF. Varo, & Navarreta adverſus praxim ſuorum Miſſionariorum Sinenſium, eodemque modo reſpondere ſe poſſe ſperant ad alias quaſcumq; authoritates, quas ab Adverſariis ſuper his controverſiis produci con-

tigerit, dummodò ne illas ipſis ſuo tempore communicare graventur; uti verus, & ſincerus veritatis indagandæ amor, atque divini ſervitii ratio poſtulare videntur. Uſque adeò ſcilicet verum eſt, nihil eſſe in hiſce controverſiis tam novum Adverſariis, quod non fuerit jamdiu animadverſum, atque examinatum à Miſſionariis Sinenſibus Societatis, ejuſdam Miſſionis fundatoribus atque cultoribus. Reſtat ut vindicentur ab impugnationibus Vari authoritates quædam à PP. Fabro, & Brancato adductæ, quas ille præſertim carpendas ſuſcepit.

Refelluntur objectiones P. Fr. Vari in PP. Fabrum, & Brancatum.

§. 352. PRimo obiicit Varus in Fabrum, quod duas ſolùm authoritates ex libris claſſicis attulerit, ad probandum, quòd Sinæ non petant à ſuis defunctis, quando aliæ in magno numero adducuntur ad probandum quod petant.

§. 353.

§. 353. Reſpondent PP. Societatis, quidquid ſit de numero authoritatum, quas pro ſe Faber attulit, videri duas illas ſolas pluris eſſe faciendas, utpote integras, claras, & expreſſas, & ut tales ab Adverſario agnitas; quàm tot Vari authoritates partim obſcuras, & ambiguas, partim mutilatas, ac truncas, partim verò ab argumento, de quo agitur, omninò alienas; quemadmodum in toto decurſu monſtratum eſt: cum & hic etiam locum habere poſſit, ac debeat vulgare effatum, quod dicit, *argumenta non tam eſſe numeranda, quàm ponderanda*. Adde quod ut huic etiam Vari exprobrationi, ſi verè quidem fundata illa ſit, occurratur, videri poterit quidam catalogus ſatis longus ejuſmodi authoritatum, ſub finem Tractatus ſæpius citati P. Philippucci, cui titulus eſt: *Explicatio 37. Textuum*: ex quo etiam aliquæ jam ſuprà fuere exhibitæ in ſcripto, cui titulus eſt: *Vera Sinenſium ſententia*.

tigerit, dummodò ne illas ipſis ſuo tempore communicare graventur; uti verus, & ſincerus veritatis indagandæ amor, atque divini ſervitii ratio poſtulare videntur. Uſque adeò ſcilicet verum eſt, nihil eſſe in hiſce controverſiis tam novum Adverſariis, quod non fuerit jamdiu animadverſum, atque examinatum à Miſſionariis Sinenſibus Societatis, ejuſdam Miſſionis fundatoribus atque cultoribus. Reſtat ut vindicentur ab impugnationibus Vari authoritates quædam à PP. Fabro, & Brancato adductæ, quas ille præſertim carpendas ſuſcepit.

Refelluntur objectiones P. Fr. Vari in PP. Fabrum, & Brancatum.

§. 352. PRimo obiicit Varus in Fabrum, quod duas ſolùm authoritates ex libris claſſicis attulerit, ad probandum, quòd Sinæ non petant à ſuis defunctis, quando aliæ in magno numero adducuntur ad probandum quod petant.

§. 353.

cat:in.

§. 353. Reſpondent PP. Societatis, quidquid ſit de numero authoritatum, quas pro ſe Faber attulit, videri duas illas ſolas pluris eſſe faciendas, utpote integras, claras, & expreſſas, & ut tales ab Adverſario agnitas; quàm tot Vari authoritates partim obſcuras, & ambiguas, partim mutilatas, ac truncas, partim verò ab argumento, de quo agitur, omninò alienas; quemadmodum in toto decurſu monſtratum eſt: cum & hic etiam locum habere poſſit, ac debeat vulgare effatum, quod dicit, *argumenta non tam eſſe numeranda, quàm ponderanda*. Adde quod ut huic etiam Vari exprobrationi, ſi verè quidem fundata illa ſit, occurratur, videri poterit quidam catalogus ſatis longus ejuſmodi authoritatum, ſub finem Tractatus ſæpius citati P. Philippucci, cui titulus eſt: *Explicatio 37. Textuum*: ex quo etiam aliquæ jam ſuprà fuere exhibitæ in ſcripto, cui titulus eſt: *Vera Sinenſium ſententia*.

§. 354. Secundo obiicit Varus in Brancatum, quòd referens duas illas authoritates in Explicatione literæ *Ci*, non fecerit legitimam traductionem primæ. Nam ita poſuit: *In oblationibus, quæ ſiunt* pro defunctis, *nihil ab illis rogatur &c.* Non enim debuit dicere, *pro defunctis*, inquit Varus, *quia nunquam in libris Sinicis talis phraſis habetur, per quam indicatur fieri oblationes ad ſubveniendum defunctis; bene tamen quod oblationes fiant defunctis*. Et hunc defectum vocat Varus *non parvæ conſiderationis*. Tùm Brancatum arguit Varus, quod in traductione ſecundæ authoritatis, de ſuo addiderit: *aut ſperantes*; *cum nec in textu citato*, inquit, *nec alibi, inquam, habeatur*, *quòd non ſperent &c.*

§. 355. Reſpondent PP. Societatis: Videri Varum magis curaſſe de multiplicatione, quàm de delectu ſuorum argumentorum; ut qui multa alia longè leviora in illis duobus Brancati locis perſecutus ſit,

quæ

quæ hîc tædii vitandi cauſa omiſſa ſunt, retentis ſolùm gravioribus. Nam primo quidem in illa ſua traductione prioris loci, non cogitavit Brancatus de ſignificanda ſubventione defunctorum per oblationes, quando dixit: *in oblationibus quæ fiunt pro defunctis*: cum ibi de ea re non ageretur; ſed oblationes *pro defunctis* appellavit, quia fiunt in honorem defunctorum, ſeu pro ſua obſervantia illis exhibenda; quod enim pro obſervantia, honore, amore alicujus fit, pro illo fieri dicitur; uti fert communis uſus loquendi. Cum Martyres v. g. dicuntur paſſi, & mortui pro Chriſto, an quiſquam eſt ita imperitus in lingua latina, ut interpretetur paſſos, & mortuos ad ſubveniendum Chriſto?

§. 356. Secundo in traductione loci poſterioris non videtur, quo jure potuerit Varus accuſare Brancatum, quòd de ſuo addiderit: aut *ſperantes*; cum vocem Sinicam ſui Textus reddiderit Brancatus, non copulativè, uti fieri deberet ad ad. den-

dendum ; ſed diſiunctivè , per iſtas ſcilicet voces, *Nihil in illis* (oblationibus) *petentes , aut ſperantes* . Cum & aliunde conſtet eamdem vocem Sinicam ibi poſitam utrumq; illum ſenſum habere ex communi Sinarum acceptione, uti pridem declaravit Fundator Miſſionis Sinicæ P. Matthæus Riccius poſt longam, & accuratam rei hujus diſcuſſionem, atque Doctorum Sinenſium conſultationem, & cum illo Trigautius in libro 1. de expedit. Chriſt. apud Sinas cap. 10. pag. 107. ubi ambo expreſsè dicunt , Sinas in ejuſmodi oblationibus nihil quidquam à ſuis defunctis *petere* , *aut ſperare* : quo etiam loquendi modo uſus eſt P.Martinius in ſuo quarto quæſito dicens: *Sinæ nullam divinitatem animabus defunctorum concedunt ; nihil ab illis ſperant , aut petunt* . Et verò hoc ipſo, quòd conſtet Sinas nihil unquam petere à ſuis defunctis in ſuis oblationibus , uti Textus illi ab ipſis etiam Adverſariis agniti fidem faciunt, videtur manifeſtum eoſdem

nihil

nihil ab illis ſperare; niſi aliunde probetur, quòd eo non obſtante aliquid ab iis ſperent: id quod certè hactenus non probarunt Adverſarii; uti ſatis conſtat ex tot locis, ac textibus quos adduxerunt, & quos alium ſenſum habere jam ſuprà oſtenſum eſt.

§. 357. Tertio obiicit Varus in Brancatum, quòd authoritatem Commentatoris *Fan Xi* adducens ſub his verbis: *perfectio, fidelitas, ſinceritas, reverentia, quatuor iſta ſunt in oblationibus fundamentum &c.* (ut eſt apud Brancatum 1. p. pag. 299.) poſuerit hæc verba: *Nihil ab eis petitur; ſed nec illis voluntas ineſt felicitatem aliquam petendi*: cum tamen in Textu, *inquit Varus*, ſolùm dicatur: *Non habet cor petendi felicitatem*. Tùm obiicit, quòd Brancatus proſequatur, & iſtius rei rationem reddens dicat: *Quod enim appellatur* Chi Cu; *ideſt, oblatio hac, inſtituta eſt ad honorandos Parentes, & Benefactores; non autem ad felicitatem, vel lucrum aliquod pe-*

petendum, *vel ſperandum*. Nam hæc ultima verba dicit Varus non eſſe in Textu, ſed eſſe propria Brancati. *In Textu enim*, inquit, *explicatis requiſitis ad oblationem filii Virtuoſi*, *& obedientis*, *ſolùm concluditur per verba libri commentati*: Non petitur.

§. 358. Reſpondent PP. Societatis apparere, quàm malè fundata ſit iſta Vari objectio in Brancatum ex ſubjecta declaratione P. Intorcettæ, qui locum illum integrum cum verbis Sinicis refert pag. 103., & 104. verba Sinica videri apud ipſum poterunt; hîc refertur ſolùm eorum interpretatio, quæ ſic habet: *Fam xi yve* Interpres ait: *Animi ſoliditas*, *fides*, *ſinceritas*, *reverentia*; *quatuor hæ virtutes ſunt oblationis* Ci *fundamentum illud*, *de quo Textus loquitur*. *Quod autem textus vocat* Vē, *res ſcilicet*, *quibus honorandi ſunt Progenitores*, *illas offerat Sapiens cum iiſdem virtutibus*; *& hoc illi* ſatis eſt. *Quod textus vocat* li, *ritus ſcilicet peragendos*;

dos ; hos agit ſapiens cum iiſdem virtutibus ; & hoc illi ſatis eſt. *Quod textus vocat* yo , *muſicæ ſcilicet compoſitionem , ſeu concordiam, componit omnia ſapiens cum iiſdem virtutibus ; & hoc illi* ſatis eſt. *Quod textus vocat* Xi, *tempora ſcilicet quibus prævіè diſponantur omnia , diſponit Sapiens , ac molitur , cum iiſdem virtutibus ; & hoc illi* ſatis eſt.

§. 359. Vides quàm verum ſit, quod dixit Brancatus eum locum explicans : *nihil peti à Progenitoribus in oblationibus , quæ illis fiunt, nec offerentibus voluntatem ineſſe petendi ab illis aliquam felicitatem:* quanquam non ſatis apparet diſcrimen inter id, quod Varus confitetur loco illo contineri , ſcilicet , *non habet cor petendi felicitatem , & inter illud , quod Brancato imputat ,* tanquam ſuppoſitum , ac falſo dictum, ſcilicet : *nihil petitur , ſed nec illis ineſt voluntas felicitatem aliquam petendi* . Ac vide quàm ſæpe additio illa , quam Varus Brancato im-

putat,

putat, comprehendatur in textu ſub his verbis toties repetitis : *Et ſatis eſt*. An non enim ſignificant hæc verba, id quod Brancatus commentarium explicans dixit: nimirum hanc oblationem inſtitutam eſſe ad honorandos parentes, non autem ad felicitatem, vel lucrum aliquod petendum, vel ſperandum? Si enim *ſatis eſt* ex vi inſtitutionis, illam facere oblationem ad teſtandam animi ſoliditatem, fidem, ſinceritatem, & reverentiam in parentes, ut dicit Commentarius Sinicus; manifeſtum eſt, quod dixit Brancatus, hanc oblationem inſtitutam eſſe ad honorandos parentes, non autem ad felicitatem, vel lucrum aliquod petendum, aut ſperandum: ac proinde falſum eſt hujuſmodi verba eſſe propria Brancati, quaſi illorum ſenſus nullo modo ineſſet commentario Sinico, quem citavit.

§. 360. Declaratur hoc ipſum magis ab alio Interprete Sinico apud P. Intorcettam cit. pag. 104. ubi ita legitur: Ym xi yue; *alius* Interpres

pres ait : *quod textus per quatuor illas voces*, pu Kieu ki guey, *ſignificare vult, hoc ſcilicet eſt eum qui munera offert*, non habere petendæ felicitatis animum, *ſed merè obſequendi parentibus, eoſque poſt mortem etiam honorandi in grati animi ſignum. Nam ejuſmodi oblationes*, quæ dicuntur Ci, & Su, non ſunt preces; ſed iis filii honorant dumtaxat defunctos parentes, & horum ſtatutis temporibus memoriam renouant.

§. 361. Quarto obiicit Varus in prædictis Textibus à PP. Brancato, & Fabro adductis excludi ſolùm petitiones privatarum felicitatum, non autem communium toti familiæ: tùm illas excludi ſolùm ad majorem perfectionem oblationum; non autem tanquàm aliquid repugnans illarum inſtitutioni.

§. 362. Reſpondent PP. Societatis, hæc omnia eſſe dicta à Varo gratis omnino, & abſque ulla authoritate; uti ſatis conſtat ex ſupradictis. Quorum omnium inſtar

eſſe

eſſe poteſt, quod ſupra relatum eſt ex P. Philippuccio, reſpondente ad Textum 12. in ſua *Explicatione 37. Textuum*; ubi dixit eſſe in Textu Sinico verba iſta: *pu kieu, ki guey*; quæ & paulò ante relata ſunt ex P. Intorcetta, & quorum ſenſus literalis ex P. Philippuccio eſt iſte, ſcilicet: *Non petere eſt finis, & intentio filii obſequentis in oblationibus, & aliis cæremoniis ad ſuos defunctos*. Nam hoc loquendi modo excluditur, ut patet, ab illis oblationibus, & cæremoniis omnis petitio felicitatum, non ſolùm privatarum, ſed etiam communium: idque adeo ut *non petere*, non ſolùm requiratur ad majorem perfectionem, ſed etiam tanquam aliquid pertinens ad ſubſtantiam illarum, utpotè requiſitum, tanquam illarum finis.

§. 363. Notatque idem P. Philippuccius in eodem Tractatu in Reſponſione ad ſecundam Appendicem (quæ eſt ad finem), antiquos Textus librorum Sinicorum non ſolùm prohibere petitiones, ſed etiam

cor,

cor, ſeu animum petendi; nec ſolùm opus, ſed etiam deſiderium; neque uſpiam in illis reperiri mentionem aliquam petitionis, aut ſpei novorum favorum à defunctis Progenitoribus recipiendorum: ita ut diſtinctio illa de petitionibus felicitatum *particularium*, *&* *communium*; tum *de majori*, *aut minori* perfectione, non reperiatur alibi, quàm in objectionibus Adverſariorum.

§. 364. Ad majorem etiam rei hujus declarationem affert ibidem P. Philippuccius in fine tertiæ Appendicis longum textum Sinenſis cujuſdam Doctoris, in quo tota iſta Sinenſium oblationum doctrina fusè, ac diſtinctè continetur: præter illa quæ relata item ſunt ex libris Sinenſibus in Expoſitione facti præcedente, ut pag. 182. Editionis impreſſæ. Ubi inter alios eſt locus à P. le Faure adductus, qui dicit: *Omnes, qui oblationes erga parentes peragunt, exhauriunt vires ad amoris, & reverentiæ perfectionem, atq; in eo ſiſtitur*. Tùm pag. 190. ab

eodem Authore ita pronunciatur: *Neque verò Textum ullum depromas, in quo aſſerant Sinæ ſe hanc felicitatem à parentibus ipſis ſperare, ſi de communibus oblationibus agatur &c.*

§. 365. Mitto alias quaſdam minutias, quas Varus in Brancato, & Fabro reprehendit, ſive quòd non multùm videntur ad rem pertinere, ſive quòd in præcedentibus ſuam habent ſolutionem.

DUBIUM XV.

An Ritus Confucii, & Progenitorum pertineant ad cultum religioſum; & an cultus Ci *cultus religioſus ſit?*

§. 366. PRimo adducitur Navarreta tom. 2. pag. 78. citans authores quoſdam Jeſuitas, ut Semedum, & Trigautium; quorum prior dicit in China *ſacrificari antenatis, & ambo dicunt Confucium haberi in China tanquam Sanctum,* &

& ipſi Templa erecta fuiſſe. Ac rurſus adducitur idem Navarreta tom. 2. pag. 114. citans congreſſum *Kiatinenſem* à PP. Societatis anno 1628. habitum ; in quo dixerint *manifeſtum eſſe, illud, quod Confucio exhibetur, eſſe ſacrificium : & licet quis diceret illud non eſſe ſacrificium, nihilominus id excuſari non poſſet à ſuperſtitione*.

§. 367. Secundo ex eodem Navarreta tom. 2. pag. 156. proferuntur multæ Authoritates ex libro P. Intorcettæ, cui titulus eſt : *Sapientia Sinica* : in quo continetur liber *lun yu*, qui eſt unus è quatuor libris claſſicis Confucii. Nam fol. 1. dicitur : qui *præſunt populo, meminerint defunctis* ſacrificare, *& fol.* 1. ſacrificio perſoluto *colligebant edulia oblata defunctis majoribus*. *Et fol.* 16. *Cupiebat tolli penitùs, nec amplius offerri in Regno* lù *ovem illam, qua Regulus accedens ad Templum majoribus dicatum monebat ſpiritus . . . & hi ſervant in Templis majorum, ad quæ accedentes*

prima die cujuslibet menſis extrahebant libellum, & juxtà ritus præſcriptos ſacrificabant *ovem, at quia in Regno* lu *nullus Regulus accedebat ad* ſacrificandum *ovem, & tamen erat aſſignatus unus Mandarinus, & redditus pro alendis ovibus in uſum talis* ſacrificii &c. *Et fol.* 37. *dicitur de Confucio; Quamvis craſſiore uteretur oriza, profectò partem unam priùs effundendo in terram* ſacrificabát *iis defunctis, qui ante actis ſæculis docuerant modum colendi terram, coquendi cibos &c.* Et fol. 38. À ſociis oblata *munera, quamvis magni pretii, non recipiebat, niſi fortè eſſent* ſacrificatæ *majoribus carnes, quibus reverentiam exhibebat, tanquàm ſi ipſemet Sociorum Progenitoribus exhiberet &c.* Adduntque hæc omnia verba Intorcettæ, non eſſe niſi traductiones libri claſſici *lun yu*.

§. 368. Tertio adducitur idem Navarreta probans ex profeſſo tom. 2. tract. 3. controu. 6., & 8. cultum *Chi*, qui quidem ſecundum omnes

nes exhibetur Confucio, & Progenitoribus defunctis) eſſe genus cultus ſacrificii ſub ſe continens varias quaſi ſpecies, quæ cum nomine particulari retinent etiam commune nomen *Chi*. Id verò probat primo, *quia nulla oblatio facta vivis vocatur* Chi. *Secundo ex magna reverentia externa, & interna, & ex veneratione inſtrumentorum, & cujuslibet vel minimæ rei pertinentis ad ejuſmodi oblationes; ex diſpoſitionibus prærequiſitis jejuniorum, & abſtinentiæ à mulieribus; ex deſignatione perſonarum offerentium. Tertio quia in libris Sinicis oblationes* Chi *factæ Progenitoribus eodem contextu ſermonis numerantur inter oblationes factas Cælo, Terræ, & Spiritibus tutelaribus; & non raro ponuntur ante illas, quæ fiunt prædictis Spiritibus. Quarto quia in omnibus verſionibus librorum factis à primis PP. Societatis, ſemper litera* Chi *fuit traducta per terminos* ſacrificii, *&* ſacrificare: *itaut P. Intorcetta in ſua* Sapientia Sinica *quadraginta*

quatuor vicibus traduxerit Chi *in* ſacrificare, ſacrificium, ſacrificans, ſacrificaturus, *ſicut & quatuordecim vicibus traduxerit* Miao *defunctorum in* Templum. *Quinto quia in omnibus Dictionariis compoſitis à PP. Societatis litera* Chi *dicitur ſignificare* ſacrificium, *&* ſacrificare *Cælo, Terræ, Confucio, defunctis Progenitoribus, Primo avo, Trunco familiæ &c.*

§. 369. Quarto adducitur Varo contendens ſupradictum cultum *Chi* eſſe ſaltem genus cultus religioſi, ac reſpondens authoritatibus à P. Fabro in contrarium allatis; quas quidem admittit; ſed pro reſponſione tria ſupponit: *Primo quòd ubi P. Faber dicit* pias *oblationes, in Textu habetur* oblatio Chi. *Secundo quòd bona, quæ petuntur, promittuntur, ſperantur, ſunt pro ſola familia. Tertio quòd in libris Sinicis nulla fit mentio de pæna poſt mortem, ſed quòd omnium animæ poſt mortem redeunt, & evolant in Cælum, idque Confucius dixit ſuo*

di-

diſcipulo Chay y, *ut habetur in* li Ki *tom.* 3. *cap.* Chy y *fol.* 7. Additque Varus id concedi à P. Fabro: quod & ajunt teſtatum etiam eſſe à P. le Comte in Epiſtola pag. 108. His ſuppoſitis dicit Varus, quòd *quamvis ex libris* liKi, *&* Kiali *Filii venerentur progenitores defunctos ad finem recognoſcendi procreationem, educationem &c. quo fine etiam ipſos colunt vivos; non tamen eos venerantur ob talem finem eodem modo; quia ſupponunt illorum animas, utpote in Cælum jam evectas, acquiſiviſſe ſtatum altiorem illo, quem in vita habebant (unde & vocantur* Xin ming, *id eſt, ſpiritus clari, perſpicaces, limpidi, & puri) atque habere poteſtatem conferendi bona ſuæ familiæ, ſaltem intercedendo: quare colunt illas ob hunc finem cultu ſuperioris generis, nempe* Chy; *quem quidem dicit idem Varus ſe probaſſe in* 1. *p. eſſe cultum ſacrificii; vel ſaltem cultum religioſum: Ac de hoc cultu dixiſſe Confucium*: Chi Chi King ye, *ideſt*, cultus Ci eſt

cultus ſupremus venerationis.

§. 370. Reſpondent PP. Societatis mirum videri debere, quòd huc denique recidant omnes Adverſariorum conatus, ac clamores adverſus idololatriam Sinensẽ toto orbe jactatam tanto impetu tàmque multis ex capitibus intenti contentique; ut videlicet fateantur demum cum ſuo Coriphæo Varo, ineſſe cultum ſaltem ſuperſtitioſum, in eo conſiſtentem, quòd Sinæ credentes animas ſuorum defunctorum ſtatim poſt mortem in Cælum evolare, ut ſint cum *Xamti*, ſcilicet, ſupremo numine à Sinis agnito, illas adhibeant tanquam ſuos apud illum *intercessores*: eaſque ut tales venerentur in ſuis oblationibus, quæ & inde ſpeciem quamdam ſortiantur cultus religioſi; quod idem adeo de Confucio dicendum ſit.

§. 371. Certè, ſi ità res eſt, ergo hoc ipſo falſum eſt omnes Sinas eſſe atheos, omni Divinitatis, ſubſtantiæ ſpiritualis, ac immortalitatis animæ notitiâ deſtitutos; uti

Ad-

Adverſarii cum eodem Varo paſſim aſſerunt ſparguntque, modò ſcilicet *album*, modò *nigrum*; modò *eſt*, modò *non*, pronunciantes; prout varia, & inconſtans præjudiciorum ſuorum ratio tulerit, aut prout inceſſerit libido Jeſuitis contradicendi. Ergò & ſimiliter falſum erit, Sinas credere animas ſuorum Progenitorum, & Confucii reſidere in Tabellis; utpote in Cælo cum ipſo *Xamti* exiſtentes, ibique occupatas ad intercedendum, & ad mittendas inde proſperitates in ſuos devotos. Verùm neque his, quæ in præſenti ad Adverſariis opponuntur, difficile eſt reſpondere, etiam ſuppoſitâ in Sinis præſertim antiquis notitiâ aliquâ veræ Divinitatis, rerumque ſpiritualium; uti jam ſatis ex præcedentibus conſtare potuit.

§. 372. Nam ad primum de Authoribus Jeſuitis, Semedo, Trigautio, & Patribus congreſſus *Kiatinenſis* à Navarreta citatis pro ſacrificio, quod ipſe contendit in China fieri Antenatis, & Confucio con

conſtat quàm parum faveant ejuſmodi authoritates intentioni Navarretæ. Cum Semedus, & Trigautius iis ipſis in locis, qui ab illo adducuntur, expreſsè dicant *non fieri ſacrificia, nec peti, aut ſperari quidquam ab Antenatis, & Confucio*, ſed dari ſolùm ſigna gratitudinis, ac reverentiæ parentibus, ac magiſtris debitæ: uti videri poteſt apud Semedum parte 1. cap. 10. paulò ante medium, & cap. 19. ſub finem; itemque apud Trigautium lib. 1. cap. 10. pag. 107. & 108. quemadmodum & alibi fuſiùs explicatum eſt. Et quod attinet ad Congreſſum Kiatinenſem, oſtenſum etiam alibi eſt (ſcilicet in libro, cui titulus eſt: *Monumenta Sinica, &c.* atque etiam ſuprà) ea, quæ ex illo proferuntur à Navarreta, nulla prorsùs fide ſubſiſtere. Præterquamquod iſtam Navarretæ de ejuſmodi ſacrificiis aſſeverationem infirmare plurimùm videtur poſtrema illa Vari declaratio, qua ſignificavit, non ſacrificii, ſed cultus ſolùm *religioſi*

ſpe-

ſpeciem quamdam ibi ineſſe. Quanquam, & hoc minimè ſubſiſtit; uti conſtat ex ſupradictis, & ut paulò poſt etiam declarabitur.

§. 373. Atque hîc interim obſervare licebit miram illam Adverſariorum conſtantiam in adducendis repetendiſque ejuſmodi Jeſuitarum authoritatibus; tametſi non ignorent illos in contraria fuiſſe ſententia; neque verò poſſint ex illis producere, niſi loca quædam avulſa, quæ præcipuæ authorum ſententiæ præjudicare non poſſunt: quaſi verò id ſufficeret ad adæquandas authoritates tot Dominicanorum, qui ſententiam Jeſuitarum, pluribus, & integris Tractatibus ex profeſſo conſcriptis defenderunt.

§. 474. Ad ſecundum de locis à Navarreta extractis ex libro claſſico *lun yu*, qui dicitur traductus eſſe à P. Intorcetta ſub titulo *Sapientiæ Sinicæ*, &c. Reſpondent PP. Societatis extare librum *de Ritibus Sinenſibus* nuper impreſſum, & jam olim in China compoſitum à P. Intor-

torcetta ad objectiones P. Fr. Navarretæ tunc præſentis reſpondente; ex quo videtur potiùs exquirenda ipſius ſententia, quàm ex libro neſcio quo, unius Navarretæ, qui illum citat, authoritate munito; quæ ſane authoritas quàm debilis ſit, ex plurimis jam argumentis notiſſimum eſt.

§. 375. Cæterum nec deeſt Romæ liber ille *lun yu* ex traductione P. Intorcettæ, & aliorum trium Miſſionariorum Sinenſium, PP. Herdtrich, Rougemont, & Couplet, in Volumine Pariſiis impreſſo, juſſu Regis, anno 1687. ſub titulo: *Confucius Sinarum Philoſophus*. Nam is, qui inſcribitur Scientiæ Sinicæ liber tertius, ipſe eſt *lun yu*; cujus ibi datur *verſio literalis*, unà cum *explanatione*. Atque in eo alia omnia videre licet, quàm quæ ſunt à Navarreta adducta; uti ex brevi quadam inductione conſtare poterit.

§. 376. Nam pro iis, quæ Navarretta citavit, legantur ſequentia, in quibus nulla ſacrificii idea, mentioque

tioque occurrit. Nempe 1. parte pag. 6. §. 3. *Cemcu*, ideſt, Confucius ait: *qui Rempublicam gubernant, ac cæteris exemplo ſuo prælucere debent, ſiquidem exacti ſeduli que fuerint in obſervatione rituum funebrium, quando contigerit parentes eorum vita fungi, tum verò lugentis animi ſenſu, nec non ſplendore quodam, & apparatu juſta illis perſolvendo, renovent item piam illorum memoriam, & annuos ritus, atque parentalia, quamvis à multo tempore jam diem obierint. Fiet ſanè, ut extenuata jam lapſu, vitioque temporum populi virtus (quod ad pietatem obſervantiamque filialem ſpectat) reſtituatur priſtino ſuo vigori, atque amplitudini; & ſubditi omnes ad exemplum eorum, qui Magiſtratum gerunt ſe componant, &c.*

§. 377. Tum pag. 11. §. 3. *Confucius ſic ait: Vivis parentibus morem gerat, ac ſerviat filius debitis cum officiis: mortuis ſimiliter juſta perſolvat, eoſque funeret debito cum*

ritu,

ritu, atque apparatu: quot annis denique oblationes faciat, ſive parentet ſecundum rationem rituum, & officiorum funebrium. Hæc, inquam, faciet, & impleviſſe numeros omnes filialis obedientiæ cenſendus erit, &c.

§. 378. Item 2. parte pag. 3. §. 3. ità Confucius loquitur: *In celebrandis funeribus exequiiſque, ego præ illo tam ſumptuoſo apparatu, luxuque funebri ex mera conſuetudine profectò, multò malim verum luctum, veraſque lacrymas, & immortale deſiderium illius, cujus funus ducitur, &c. Tum pag 6. §. 1. Confucius, quotieſcumque majorum ſuorum memoriam, & accepta ab eis beneficia ſolemniùs recolebat, cum eo pii gratique animi ſenſu, & ſignificatione præſcriptos ritus exercebat*, ac ſi revera majoris ipſi præſentes aſtitiſſent. Quo ex loco, ut hoc etiam obiter notetur, conſtat nòn creditum fuiſſe à Confucio adventum ſpirituum ad Aulas defunctorum, &c.

§. 379. Ad tertium de probationibus, quibus utitur Navarreta, ad oſtendendum cultum *chi* eſſe genus ſacrificii: Reſpondent PP. Societatis non magis illas ſubſiſtere, quàm quæ ab illo hactenus adducta ſunt: cum & ejuſmodi probationes non ſatis validæ ipſi Varo viſæ fuerint, ut propter eas tueri deberet cultum *ci* eſſe ſacrificium, ſed ſolùm ſpeciem quamdam cultus religioſi; quemadmodum antea ſignificatum eſt.

§. 380. Itaque ad primam ex hiſce rationibus Navarretæ: negatur, quod ille aſſumit; ſcilicet quòd nulla oblatio facta vivis vocetur *chi*. Nam oppoſitum conſtat ex P. Brancato 1. parte pag. 289. in explicatione literæ *ci* num. 3. ubi dicit illam ſignificare *convivium agere*, ex *liKi* dicente *Offerre dapes, & offerre vinum, ritus iſte eſt reverentiam, & honorem alicui exhibere . : . . . Hic autem apparatus convivii non inſtituitur propter comedendum, & bibendum; ſed*

propter

propter occaſionem mutui officii, &c. Conſtat item ex P. Philippuccio in Præludio typis dato, pag. 46. ubi dicit hanc literam *ci* ſervare etiam ſpecies politicorum munerum: *Quæ honoris cauſam*, inquit, *inter homines offeruntur, ſive in conviviis, ubi conviva, & convivator* Siam ci, *ideſt; edulia, vinum, &c. ad invicem ſibi offerunt; ſive etim extra convivii tempora, in adventu hoſpitum, in ſolemnitate nuptiarum, & aliis multis occaſionibus; item coram tabula, ubi viventis Imperatoris, vel aliorum vivorum Benefactorum nomina inſcripta ſunt, munera eadem voce, & litera* ci *nuncupata offeruntur*. Ecce quàm peritus fuerit linguæ, & morum Sinicorum Navarreta, qui res tam obvias neſciverit, & tamen Romæ nunc extollitur, & jactatur, tanquam teſtis locupletiſſimus, atque ut author Sinenſium rituum peritiſſimus.

§. 381. Quamquam, ſi verum eſſet, quod aſſumpſit Navarreta, nullam oblationem vivis factam vo-

cari *chi*; non inde tamen fieret, ut ea eſſet genus ſacrificii; quàm enim multa mortuis fiunt, quæ vivis fieri non poſſunt, quin illa propterea ſacrificii, aut clutus religioſi rationem obtineant: ut eſt v. g. ipſos tumulare, ſeu ſepelire, &c. quam in rem facit, quod ait P. Philippuccius in citato Præludio pag. 46. & ſequentibus: *Quoad defunctos verò munera illis exhibita eodem planè modo nominantur, ſive ea conſanguineis, & affinibus, vel extraneis offerantur. Hæc inſuper erga defunctos honoris officia non tantùm inveniuntur inter æquales, ſed etiam in Superioribus erga inferiores, & in ipſomet Imperatore erga ſubditos. In Annalibus, & Libris Sinicis paſſim iſtiuſmodi narrationes occurrunt; & ne aliena tantùm adducamus, in memoriam revocemus, quod Imperatores Sinenſes erga P. Matthæum Riccium, P. Nicolaum Longobardum, P. Joannem Adamum Schall, P. Gabrielem de Magalhanes geſſerunt. His emortuis, ſic . . .*

ci . . . cam , *ideſt beneficium munerum eis ſuo nomine offerendorum, & ſepulturæ locum impertiti ſunt. Palatinos ergo Præfectos una cum ingenti argenti pondere in funeris ſumptibus inſumendo ſibi delegarunt. Ita . .* yu *. .* cy , *ideſt, Imperatoris nomine munera defunctis Patribus obtulerunt cum ſolitis genuflexionibus, capitis uſque ad terram inclinatione, aliiſque reverentiæ, & honoris officiis.*

§. 382. Et paulò inferius : *Hic interrogo*, inquit idem P. Philippuccius, *anne Imperatores Sinenſes, dictos Patres pro Idolis habuerunt? anne ſacrificia illis obtulerunt? Ridiculum ſanè eſſet hæc cogitare. Præterea ſi hujus ritus circumſtantiæ, & præcipuè Sinicus loquendi modus rectè conſideretur, illius actionis merè politica ratio evidenter inſpicietur. Dicitur enim Imperator ſubditis defunctis munera offerendo, eiſdem eâ ratione beneficium impertiri : hoc autem beneficium conferendi motivum, cum ratione ſacrificii quomodo*

modo poterit coaptari, *&c.* Tum refert pag. 48. quomodo ipſe Varus, & alii Miſſionarii omnium Ordinum, non ſemel in China ritum illum *Tiao ci* dictum erga defunctos præſtiterint. Ac demum ex dictis infert non poſſe concludi ex vi ſignificationis literæ *ci* proprium, & ſtrictè ſumptum ſacrificium per illam ſignificari, niſi per adjuncta tollatur æquivocum.

§. 383. Neque verò minùs æquivoca ſunt, quæ 2. & 3. ex probationibus Navarretæ continentur de inſtrumentis, diſpoſitionibus, & Miniſtris iſtarum oblationum, ac de illarum recenſione inter oblationes Spiritibus tutelaribus factas; uti conſtat ex dictis ſuprà, variis in locis: ubi ea omnia ſigillatim diſcuſſa ſunt, & partim falſa, partim verò malè intellecta fuiſse oſtenſum eſt.

§. 384. Sic & falſum eſt, quod dixit idem Navarretta in 4. ſua probatione, de primis ſcilicet Patribus Societatis ſemper vertentibus literam *chi* per terminos *ſacrificii*, & *ſacri-*

ficare. Nam oppoſitum conſtat nominatim de omnium primo, ac fundatore Miſſionis Sinenſis P. Mattheo Riccio, ejuſque ſocio P. Nicolao Trigautio; uti videre eſt in libro de Chriſtiana expeditione apud Sinas: quam quidem P. Riccius italicè compoſuit, & Trigautius latinè vertit, & typis mandavit anno 1615. Nam ibi l. 1. cap. 10. pag. 107. & 108. oblationes mortuis, & Confucio factæ deſcribuntur ſine ullo termino *ſacrificii*, & *ſacrificare*. Id quod etiam videri poteſt apud P. Furtado in Tractatu ſcripto anno 1640. & qui nuper typis mandatus eſt ſub nomine *Informationis antiquiſſimæ*. Sic enim inter alia legitur §. 45. *Dicere hanc actionem ità explicatam* ſacrificium *eſſe*, *ac idololatriam*, *eſt abuti verbis*, *neque attendere quid ſit* ſacrificium *&c.* Et quod ſpectat ad P. Intorcettam, quem dicit Navarreta vertiſse 44. vicibus vocem *chi* in *ſacrificium*, & 14. vicibus *Miao* defunctorum in *Templum*, in ſua *Sapientia Sinica*: quàm falſum id

ſit,

ſit, jam apparuit ex iis, quæ paulò ante in Reſponſione ad ſecundum relata ſunt ex illo ipſo libro P. Intorcettæ.

§. 385. Verum idem etiam expreſsiùs videri poterit in libro P. Intorcettæ nuper impreſſo de Cultu Sinenſium pag. 112. & ſequentibus: ubi fusè & ex profeſſo explicatur vox *ci* & oſtenditur illam ex ſe ſignificare oblationem in genere, ad inſtar muneris, quod ex ſe indifferens eſt, ut ad rem ſacram, vel purè civilem accommodetur. Ubi & refertur P. Fr. Antonium de Sancta Maria abuſum jam tum fuiſſe authoritate Patris Emmanuelis Diaz, qui in libro typis Sinicis edito literam *ci* adhibuerat ad verum, & proprium ſacrificium exprimendum. *Sed non advertit Pater ille*, inquit P. Intorcetta, *Patrem Emmanuelem Diaz ibi conqueri de idololatris in communi, qui creaturis, ut Sóli, Lunæ, Stellis, &c. Divinum cultum exhibent, & ſacrificia illis tanquam diis offeruntur; cum illis non competat*

 cul-

cultus hujuſmodi, ſoli Creatori debitus. Non advertit item, dictum Patrem Diaz ibi loqui de proprio, & rigoroſo ſacrificio, adeoque accipere vocem ci *jam contractam ad ſpeciem rigoroſi ſacrificii, quæ oblatio & cultus, quatenùs talis, nequaquam poteſt alteri competere. Cæterùm in ſuo illo libro Pater Diaz hanc nullo modo agitat quæſtionem, an ſcilicet litera* ci *aliam habeat latitudinem, ac vim ſignificandi*. Eæ ſcilicet ſunt authoritates primorum Patrum Societatis, quæ adeò nihil favent Navarretæ, ut illi potiùs adverſentur.

§. 386. Ex quo etiam liquere poteſt, quam fidem mereatur, quód dicit Navarretta in 5. ſuâ probatione, de omnibus Dictionariis compoſitis à PP. Societatis, exprimentibus ſcilicet, ut aſſerit, literam *ci* per ſacrificium non ſolùm Cælo, & Terræ factum, ſed etiam Confucio, & majoribus defunctis quibuſcumque. Tam enim hoc falſum eſt, quam falſum eſt, quod ab illo anteà aſſertum fuit.

§. 387.

§. 387. Ad quartum ex Varo contendente cultum *Ci* eſſe ſaltem genus quoddam cultus religioſi, ac reſpõdente authoritatibus à Fabro in contrarium allatis: Reſpondent PP. Societatis non multùm urgere, quæ ibi à Varo adducuntur ad probandum quod intendit, utpote vel nihil probantia, vel nullo ſolido fundamento ſuffulta. Nam quod ſpectat ad primum quod ibi Varus ſupponit; in textu haberi *Ci*, ubi Pater Faber poſuit pias oblationes: eſto; quid inde? Cum jam oſtenſum ſit, vocem *Ci* non aliud ex ſe ſignificare, quàm munus quoddam inſigne; tam civile, quàm ſacrum; quod vivis perinde, ac mortuis exhibetur.

§. 388. Quod verò attinet ad ſecundum quod ibidem Varus ſupponit, *in oblatione Ci peti, promitti, ſperari à defunctis bona pro ſola familia*: Conſtat ex dictis toto decurſu hujus ſcripti id eſſe falſum; cum nec magis inſtitutæ ſint ejuſmodi oblationes ad obtinenda bona pro

familia propria, quam pro aliis: Quin & id multò minus verum eſt; cum tam ſæpè expreſſum ſit in textibus adductis, ut non fiant ejuſmodi oblationes cum animo *intereſſato*, ſed cum ſolo deſiderio teſtandi ſuam gratitudinem, ſuamque in defunctos memoriam perpetuandi.

§. 389. Adde quòd ratio ipſa, quam affert Varus, æquè probaret peti poſſe pro aliis, ſeu pro iis, qui non ſunt de familia offerentium, quàm pro offerentibus: quatenus ſcilicet dicit id provenire ex eo quòd Sinæ credant animas ſuorum defunctorum eſſe in Cælo, adeoque in ſtatu, & cum poteſtate aliqua ſuperiori. Siquidem ejuſmodi poteſtas, utpote Cæleſtis, deberet eſſe univerſalis, ſeu ad multa extendi; ſicuti nos v. g. de Sanctis noſtris in Cælo exiſtentibus ex vero credimus. Tùm de ipſo Confucio quid credetur à Sinis? Soline homines, qui ſunt de ejus familia, putabunt ſibi competere jus petendi ſperandique aliquid ab illo in oblationibus, quæ illi tanto

to cum apparatu fiunt?

§. 390. Atque hoc ſcilicet tertium eſt à Varo ſuppoſitum: nimirum quòd credant Sinæ animas omnium ſuorum defunctorum eſſe in Cælo; eo quòd libri Sinici, ut ipſe ait, nullam faciant mentionem de pæna poſt mortem, ſed ſolùm dicant animas ſtatim in Cælum evolare: quod & ait Varus à Confucio aſſertum, & à PP. Fabro, & le Comte teſtatum fuiſſe. Ad id autem Reſpondent PP. Societatis duo. Primum eſt, quod etſi id à Sinis tàm latè, atque universè de omnibus defunctorum ſuorum animabus crederetur, quàm latè universèque à Varo aſſertum eſt, non propterea ſufficeret ad inferendum, Sinas facere ſuas oblationes ſuis defunctis, ad aliquid ab illis obtinendum; quia aliunde dubitare poſſent, ac meritò credere non omnibus illis animabus ſatis eſſe virtutis, ac meriti ad bona ſuis Devotis ex tam longinquo communicanda: juxta ea, quæ dicta ſunt ſuprà ex P. Philippuccio in Reſponſione ad textum

tum 2., & 28. de *Ven Vam*, & *Chim Tam*, & aliis quibuſdam Sanctis inter Sinas reputatis, §. 322., *& ſequentibus*.

§. 391. Alterum eſt: quod nimis implexum ambiguumque eſt, apud Sinas præſertim hodiernos, illud fundamentum de animabus defunctorum ſuorum in Cælum evolantibus, quàm ut in eo conſtitui, ac fundari poſſit, aut debeat Ratio Oblationum funebrium apud illos uſitatarum: cum præſertim apud eoſdem habeatur aliud expreſſum, & clarum hujus ritus fundamentum, quod in eorum libris paſſim explicatum eſt, uti jam ſæpius indicatum fuit.

§. 392. Quæ ſit porro Sinenſium ſententia ſuper illo animarum poſt mortem ſtatu, tradit Trigautius in Expeditione Chriſtiana lib. 1. cap. 10. pag. 105. *In hac lege* (ſcilicet literatorum Sinenſium) *de præmio bonorum, ac malorum ſermo eſt, ſed ferè arbitrantur id in hac vita dari, & vel in auctorem, vel in ejus poſteros, pro meritis, redundare.*

De

De animis immortalibus antiqui vix videntur dubitaſſe : nam de vita mortali functis, & in Cælo degentibus, diu etiam poſt mortem, ſæpè ſermonem inferunt ; ſed de impiorum apud inferos pœnis nullus ſermo. Recentiores porrò literati animos unà cum corporibus, aut paulò poſt extingui docent ; unde neque probis Cælum, nec improbis inferorum cruciatus aſſignant &c. Qua de re videri item poterit P. Franciſcus Furtado in Tractatu nuper impreſſo §. 56., & 57. Ubi tamen dicit credi à Sinis eorum animas, qui peſſimi extiterunt, in infernum deſcendere. *Ubi credunt*, inquit, *verſari nominatim aliquorum animas, ut Regum* Kie, & Cheu, &c.

§. 393. Denique quod dicit Varus prolatum à Confucio fuiſſe de oblationibus mortuorum : *Chi chi King ye* ; ideſt, ut ipſe interpretatur : *Cultus chi eſt ſupremus cultus venerationis* : plus probaret quàm ipſe Varus hactenus ſit auſus aſſerere. Siquidem probaret ejuſmodi cultum

tum eſſe ſacrificium; nam in hoc *conſiſtit ſupremus cultus venerationis*. Verùm non aſſignavit Varus locum, ex quo Textus fuerit deſumptus, & ex quo, ſi textus ita reipſa haberet, germanus ejus ſenſus erui poſſet. Veriſimile autem, eſt Textum eſſe compactum ex quibuſdam vocibus, quæ extant in ipſo *Lun yu* par. 2. pag. 6. in libro, cui Titulus eſt: *Confucius* &c. Ubi refertur Confucius dicens *ritu* Ti *dicto* (qui erat ritus parentalis officii longè ſolemniſſimus) *contineri apicem quemdam filialis pietatis, & obedientiæ*: itaut, ſi voces iſtæ Sinicæ ibi reipſa inveniantur: *Chi Chi King ye*; verus illarum ſenſus non alius ſit, quàm: *Cultus* Chi, *aut* Ti, *eſt apex honoris, ſeu venerationis parentibus debitæ*. Quo loquendi modo, non aliud ſignificatur, niſi hunc honorem inter Sinas haberi tanquam maximum inter eos, qui parentibus debiti ſunt: adeòque non probatur illum excedere fines cultus politici, ſed potiùs intra illos conſiſtere.

§. 394. Cæterùm ad hæc omnia magis, ac magis perſpecta habenda, juvabit videre, quæ pridem ſcripta ſunt à duobus aliis Dominicanis, ſcilicet Patre F. Dominico Maria Sarpetri, & D. Gregorio Lopez Epiſcopo Sinenſi in Tractatibus ſpecialibus nuper impreſſis. Nam & ibi de oblatione Ci ejuſque uſu, ac fine ſpeciatim agit Pater Sarpetri pag. 33. & ſequentibus: tum etiam D. Gregorius Lopez pag. 18., & ſequentibus, cum approbatione utique Illuſtriſſimi Domini à Leoniſſa; uti habetur in fine ejuſdem Tractatus. Ubi certè longè alia continentur aſſeruntur que, quàm quæ fuerint à Navarreta, & Varo hactenus producta.

§. 395. Reſtaret fortè, poſt hæc omnia Vari, & Navarretæ, ac ſimilium argumenta diſſoluta, ut diſſolveretur quædam objectio, quam facit, non jam aliquis Miſſionarius Sinenſis, ſed Doctor Pariſienſis ex Ordine S. Dominici (ſic enim ſe ipſe nominat) adverſus ritus Sinen-

ſes

ſes à Jeſuitis, & Dominicanis ſuprà nominatis, qui in China fuerunt, approbatos aut permiſſos. Nimirùm inquit: *Ritus iſti conformes ſunt ritibus idololatriæ Grecæ, & Romanæ. Ergo non ſunt permittendi*. Antecedens probat ille, ſeu probare conatur longa inductione cæremoniarum idololatricarum, quibus antiqui Authores Græci, & Latini referti ſunt. Nec prætermittit adjungere, aut intermiſcere huic ſuæ probationi prolixam Satyram in Jeſuitas, tanquam in publicos utriuſque idololatriæ Græcæ, & Romanæ in China Magiſtros: atque ex ejuſmodi argumentis non unum, ſed multiplicem libellum à ſe contextum, velut exultans, ac triumphabundus per Urbem, & Orbem ſpargit &c.

§. 396. Reſpondent PP. Societatis, nihil in ejuſmodi objectione viſum fuiſſe ſpeciali dignum reſponſione; iis præſertim ſuppoſitis, quæ hactenus à ſuis, & pro ſuis dicta ſunt. Neque enim ſi Ritus Sinici ſunt per ſe idololatrici, aut ſuperſtitioſi,

ſtitioſi, ſcire opus eſt ad illos deprehendendos prohibendoſque, quòd fuerint alibi, ut in Græcia, & in Italia ritus ſimiliter idololatrici, aut ſuperſtitioſi; neque è contrario, ſi ritus Sinici, de quibus agitur, fuerint per ſe ab illa labe puri, faciet ut eam contrahant notitia maculæ, quam habuerint olim ritus in Græcia, & in Italia uſurpati.

§. 397. Notum eſt, ante aliquot annos exiiſſe ab Hugonotto librum in Sanctam Romanam Eccleſiam, cujus Titulus erat: *Conformitas cæremoniarum Eccleſiæ Romanæ cum cæremoniis Romanæ idololatriæ*. Veriſimile eſt Doctorem Jeſuitis infenſum aliquid ex illo ſaltem titulo mutuari voluiſſe; ut quod Hugonotus nonniſi impiè in Sanctam Matrem Eccleſiam facere potuiſſet, ipſe in fratres, ac commilitones ſuos piè commotus, in cauſa Sinenſi, aliquo modo impleret.

§. 398. Qua certè in cauſa demum agnoſcitur non contrariam prorſus, & inutilem Jeſuitis extitiſſe

De-

Declarationem Domini Maigrot in China factam ſuper controverſiis Sinenſibus: quatenus videlicet intra ipſam Chinam exiſtens, ac rem ipſam propiùs intuens, vix auſus eſt nomine alicujus ſuperſtitionis per ignorantiam etiam non culpabilem permiſſæ reprehendere, quos Doctor intra Galliam exiſtens cum aſſeclis, qui rem iſtam nonniſi ſomniando viderunt, reos facit omnigenæ idololatriæ, Græcæ, & Romanæ, ſi Superis placet, non ſolùm permiſſæ; ſed etiam approbatæ, atque defenſæ. Poterat is certè plura dicere in infinitum, nihil tamen dicendo ad propoſitum. Nam Sinæ ex inſtitutione, & uſu communi *non petunt, non ſperant à Confucio, & mortuis vulgaribus*; nec in eis poteſtatem ullam divinam, aut humanam ſuperiorem agnoſcunt; uti hactenus Jeſuitæ contenderunt, & probarunt cum *pluribus Dominicanis*. Oppoſitum omnino ſentiebant, & profitebantur Græci, & Romani de ſuis idolis. Hoc agnoſcat Author *Conformitatis*, ac

ſuis

ſuis libris addat, novumque illis apponat titulum, ſcilicet, *De maxima difformitate &c.*

CONCLVSIO.

§. 399. EX his omnibus putant PP. Societatis ſe duo poſſe pro jure ſuo concludere. Primum eſt, quanta cum injuria Miſſionarii ſui Sinenſes accuſentur, traducanturque à ſuis Adverſariis, tanquam fautores, atque approbatores ſuperſtitionis, & idololatriæ in cauſa Sinenſium rituum; cum nihil ab iiſdem Adverſariis afferri hactenus potuerit, quo tam gravis accuſatio ſuſtineretur: itaut pœnam talionis antiquis decretam canonibus incurriſſe omni ex parte videantur.

§. 400. Alterum eſt: quanta cum æquitate ſuſceperint ipſi PP. Societatis defenſionem hujus cauſæ; non eo quidem animo, ut rituum omnium Sinenſium innocentiam,uſumq; probarent (nam ultro fatentur, ſicut & ſemper confeſſi ſunt, multos ex

illis ritibus permittendos non eſſe; ſive quia ſunt reipſa ſuperſtitioſi; ſive quia ſuperſtitionem redolent) ſed ut eos ſolos vindicarent, quos tanquam ab omni labe puros, ac ſimul Chriſtianæ Religioni in iis partibus tum conſervandæ, tùm promovendæ ſummè neceſſarios viſus eſt approbare Alexander VII. in ſuo Decreto anni 1656., & qui ferè ad hæc tria capita revocantur.

Primum eſt: cæremonia, quæ fit à literatis coram Tabella nomine Confucii inſcripta, in ſuſceptione graduum, tantùm ad recognoſcendum illum tanquam Magiſtrum.

Secundum eſt: cæremoniæ oblationum, quæ fiunt à Sinis coram Tabellis, aut in monumentis ſuorum parentum mortuorum, ad teſtandam dumtaxat ſuam gratitudinem, ſeu ad perpetuandam illorum memoriam, ſublatis omnibus ſuperſtitioſis.

Tertium eſt: aſſiſtentia Chriſtianorum in exequiis Gentilium cum conditionibus Decreto expreſſis. Quæ omnia ut magis in promptu habeantur,

tur , juvat hìc apponere partem Decreti ; quæ huc ſpectat , ut ſequitur :

Tertiò quæritur : num accipiendorum graduum cæremoniam , quæ fit in Aula Confucii , Chriſtiani literati licitè agere valeant. Nam nullus intervenit ſacrificulus , vel ex idololatrica ſecta Miniſtellus; nihil omninò fit ab Idololatris inſtitutum; ſed ſoli ſtudioſi , & Philoſophi conveniunt Confucium tanquam Magiſtrum ſuum agnoſcentes , civilibus ac politicis Ritibus ex ſua prima inſtitutione ad merum cultum civilem inſtitutis .

Omnes enim graduandi ſimul Aulam Confucii ingrediuntur , in qua eos expectant Cancellarii , Doctores , ac Examinatores , ibi ſimul omnes ante nomen Philoſophi nihil omninò offerendo illas faciunt cæremonias, & inclinationes more Sinico , quas omnes diſcipuli faciunt ſuis Magiſtris vivis ; atque ita cognito Philoſopho Confucio pro Magiſtro , gradus accipiunt à Cancellariis , ac diſcedunt. Præterea Aula illa Confucii Gymna-

ſium eſt , & non Templum propriè dictum ; nam clauſa omnibus eſt , præterquam ſtudioſis .

Sacra Congregatio, juxta ea, quæ ſuperiùs propoſita ſunt, cenſuit permittendas Sinenſibus Chriſtianis prænominatas cæremonias ; quia videtur cultus eſſe merè civilis, & politicus.

Quartò quæritur : num cæremoniæ , quæ ſunt ex Philoſophorum placitis circa Defunctos , Chriſtianis permitti poſſint , prohibendo quidquid ſuperſtitioſum acceſſit ?

Quæritur iterum : num Chriſtiani ſimul cum Infidelibus conſanguineis eaſdem licitas cæremonias facere poſſint ?

Quæritur iterum : num adeſſe poſſint Chriſtiani , præcipuè facta fidei proteſtatione , quando Infideles etiam ſuperſtitioſa peragunt , non cooperando , aut autorizando , ſed quia valdè notaretur , ſi conſanguinei tunc abeſſent , & eſſent inimicitiæ cauſa , ac odii . Sinæ nullam Divinitatem animabus Defunctorum con-

concedunt, nihil ab illis ſperant, aut petunt.

Triplex eſt modus, quibus defunctos ſuos honorant. Primus eſt: Cum aliquis moritur, ſive Chriſtianus ſit, ſive Gentilis, pro inviolabili more, habetur in domo defuncti quoddam Altare præparare, in eodemque Imaginem defuncti, ſeu Tabelam collocare, in qua ejus nomen ſcriptum eſt, cum ornatu odorum, florum, & candelarum, retròque cadaver feretro incluſum ponere. Omnes autem qui ad condolendum, domos illas ingrediuntur, coram præparata Tabula, & Defuncti Imagine ter, vel quatèr genuflectunt, humi ſe ſe proſternentes, capitibus uſque ad terram demiſſis, aliquas ſecum candelas aſportantes, & odoramenta, ut in præparato illo Altari, ſeu potius Tabula coram Defuncti Imagine conſumentur, & comburantur.

Secundus modus eſt, qui fit bis in anno, in Avorum, & Primogenitorum ſuorum aulis (ità Si-

næ vocant , & non Templa , hec enim Fſu tang *ſonat) quæ verè familiarum memoriæ , vel monumenta ſunt : has ſoli habent Magnates , aut ditiores conſanguinitates; in eis nullus ſepelitur mortuus, ſed in Montibus . Sola ergo intus nobilioris Proavi Imago , deinde ſupra gradus alios aliis altiores diſpoſitæ ſunt Tabellæ ad palmi altitudinem ; in quibus omnium in illa familia Defunctorum nomina , qualitas , dignitas, ſexus , ac ætas inſcripta ſunt, dieſq; mortis etiam Infantium , & Puellarum . In hac ergo Aula bis in anno conſanguinei omnes conveniunt , ex quibus ditiores offerunt carnes , vinum , candelas , odoramenta; Pauperiores autem qui has Aulas habere non poſſunt , Defunctorum ſuorum Tabellas domi ſervant , vel in loco particulari , vel etiam ſupra Altare, ubi Sanctorum Imagines ; quia ob loci , ac domus parvitatem , alium locum non habent ; quas tamen nec venerantur , nec illis offerunt quidquam ; ſed ex defectu alterius loci*

ibi

ibi ſunt. Cæremoniæ enim illæ ſupradictæ à Sinis non fiunt, niſi in Aula Defunctorum; quam ſi non habent, etiam cæremonias omittunt.

Tertius modus eſt, qui fit ad mortuorum ſepulchra, quæ omnia in Montibus ſunt extra Mœnia, juxta Regni leges. Ad hæc Filii, aut Affines accedunt ſemel ſaltem in anno circa initium Maii, herbas, ac gramina circa ſepulturas nata eradicant, purgant, plorant, deindè ejulantur: genuflexiones, ut in primo modo dictum eſt, faciunt, cibos coctos, vinumque diſponunt. Mox finitis lacrymis edunt, ac bibunt.

Sacra Congregatio juxta ea, quæ ſuperiùs propoſita ſunt, cenſuit poſſe tolerari Sinas converſos adhibere dictas cæremonias erga ſuos defunctos, etiam cum Gentilibus, ſublatis tamen ſuperſtitioſis: Poſſe etiam aſſiſtere tantùm cum Gentilibus, quando agunt ſu-

perſtitioſa, præſertim facta fidei proteſtatione, & ceſſante periculo ſubverſionis, & quando aliter odia, & inimicitiæ vitari non poſſint.

Feria v. die 23. Martij 1656.

A01 1470560

INDEX,

ET SUMMARIUM EORUM,

Quæ continentur in hoc Opuſculo, cujus titulus eſt : Ulterior Expoſitio, &c.

§. 1. QUantum temporis ſumpſerint ſibi Jeſuitarum Adverſarii ad impugnandas eorum Praxes circa ritus Sinicos. *pag.* 3.

§. 2. Relatio conflata fuit anno 1699. ex documentis multo ante tempore præparatis ab Adverſariis Jeſuitarum, ibidem.

§. 3. Jeſuitæ quid, & quomodo reſponderint ejuſmodi relationi? 4.

§. 4. Adverſarii Jeſuitarum novam relationem ſecretò, & ipſis omnino inſciis procuderunt ex Tractatibus PP. FF. Navarrette, & Varo Dominicanorum, cum interpretationibus D. à Leoniſſa. 5.

§. 5. Multas exceptiones opponere poſſunt Jeſuitæ adverſus ejuſmodi

modi Tractatus, & Interpretationes. ibidem.

§. 6. Quid conſequatur ex illa agendi ratione Adverſariorum, & quam ob cauſam Textibus Sinicis pugnare Romæ voluerint? 7.

§. 7. Non diffidunt PP. Societatis ſe novam hanc Adverſariorum relationem poſſe deſtruere, ſicut præcedentem deſtruxerunt. ibidem.

§. 8. *Primum dubium ab Adverſariis de novo motum*, de cultu publico Confucii ut Sancti, ex Tractatu præſertim P. F. Franciſci Varo. 8.

§. 9. Proferunt Adverſarii 1. quæ habet Varo de cæremoniis erga *Chin hoam*, & Confucium fieri ſolitis in novilunio, & plenilunio. 9.

§. 10. Reſpondent PP. Societatis ante omnia cæremonias illas, quæ Confucio fiunt in æquinoctiis, non fuiſſe à ſuis Miſſionariis approbatas, & ſi illas non reprobaverint tanquam per ſe ſuperſtitioſas, cujuſmodi ſunt cæremoniæ *Chin Hoam*. 10.

§. 11. Oſtenditur quomodo ex eo quòd cæremoniæ aliquæ ex iis, quæ fiunt

fiunt erga *Chin hoam*, fiant erga Confucium, inferri non poſſit illos in eodem ordine à Sinis haberi. ibidem.

§. 12. Non eſt verum, quòd fiant eædem omnino cæremoniæ erga Confucium, ac *Chin hoam*, aut Spiritus protectores. 12.

§. 13. Id declaratur inſigni quodam loco D. à Leoniſſa. ibidem.

§. 14. Idem etiam magis illuſtratur ex Tractatu P. Franciſci Furtado. 13.

§. 15. Affertur, quod ſuper hoc reſponderit olim P. Intorcetta ipſimet Navarretæ. 14.

§. 16. Affertur & contra Varum, teſtimonium ipſius P. Fr. Joannis Baptiſtæ de Morales Dominicani, necnon & ipſius P. Fr. Vari. 15.

§. 17. Jeſuitæ nullum unquam permiſerunt cultum *Chin hoam*, ſecus verò Confucii; & unde provenerit diſcrimen? 16.

§. 18. Proferunt Adverſarii 2. quæ habet P. Fr. Varo de oblatione quadam Herbarum Magiſtris defunctis facienda, ex qua colligit Confucium

cium à Sinis coli ut Sanctum. 17.

§. 19. Oſtendunt PP. Societatis, quam infirma ſit ea Vari objectio. ib.

§. 20. Explicatur totum myſterium illius oblationis à PP. Intorcetta, & Philippuccio, qui inde oſtendunt cultum Confucii non eſſe idololatricum. 18.

§. 21. Hallucinatio P. F. Vari circa conſtitutionem Regis *Hum vu*, quoad vocem *xing*. 19.

§. 22. P. Philippuccius oſtendit, quàm perperam verterit P. Fr. Varus Textum Dictionarii Sinici, ad explicandam literam *xing* de vera ſanctitate, & quàm id fecerit contra propria principia. ibidem.

§. 23. Proferunt Adverſarii 3. Authoritatem P. Fr. Dominici Navarretæ, Congreſſum Kiatinienſem Jeſuitarum in teſtimonium adducentis ſuper explicatione Tabellæ Confucianæ. 21.

§. 24. Ajunt etiam Adverſarii Dominicanos, & Franciſcanos ſimili modo explicaſſe Tabellam Confucianam de vera ſanctitate; eoque adducunt

cunt Hiſtoriam quamdam cum imaginibus de Confucii nativitate. ibid.
§. 25. Oſtendunt PP. Societatis, quàm nullius momenti ſit in hoc puncto Authoritas Navarretæ, & quoad explicationem ab ipſo datam de voce *xing*, & quoad ſummam Congreſſus Kiatinienſis ab ipſo ſuppoſitam. 22.
§. 26. Producuntur teſtimonia PP. Intorcettæ, & Brancati reſpondentium ipſi Navarretæ præſenti ſuper ſententia Cœtus Kiatinienſis. 23.
§. 27. Oſtenditur, quàm ſit à vero alienum, quod Adverſarii dixerunt Dominicanos, & Franciſcanos ipſis conſenſiſſe in explicatione Tabellæ Confucianæ: ac primò quidem ex inductione Dominicanorum. 24.
§. 28. Oſtenditur idipſum de Franciſcanis, P. Fr. Antonio de Sancta Maria, & D. à Leoniſſa. 25.
§. 29. Quo loco habenda ſit Hiſtoria illa de Nativitate Confucii. 26.
§. 30. Teſtimonium D. Gregorii Lopez, & D. à Leoniſſa de cultu quodam heteroclitò Confucii. 28.
§. 31. Adducitur etiam teſtimonium

nium P. Intorcettæ; ſimulque notatur origo imaginationis KirKerianæ de apotheoſi Confucii, & exinde mala fides Adverſariorum. 29.

§. 32. *Secundum dubium Adverſariorum*: de Templis Confucii, & ſignificatione vocis Sinicæ *Miao*; ex P. Navarreta producente ſcriptum quoddam P. Roboredi. 30.

§. 33. Affertur ad id ex eodem Navarreta multiplex authoritas librorum Sinicorum. ibidem.

§. 34. Reſponſio PP. Societatis ex P. Intorcetta ad ipſum Navarrettam ſcribente de Roboredo. 31.

§. 35. Declaratur aliunde mens Roboredi, necnon Riccii, & Trigautii, ubi de Templo Confucii locuti ſunt. 32.

§. 36. Quid reſponderit P. Brancatus ad locum Dictionarii Sinici à Navarreta adductum. 33.

§. 37. Quomodo eumdem locum diluerit P. Intorcetta adverſus P. Fr. Antonium à Sancta Maria? 34.

§. 38. Diluitur alius quidam locus à Navavarreta adductus ex *liKi*;

&

& oſtenditur Varum in eo eſſe Navarretæ oppoſitum. 35.

§. 39. Ex eo quod concedatur *Miao* inſtitutum ad offerendum *ci* defunctis, concludi non poteſt *Miao* eſſe verum templum. 36.

§. 40. Neque id concludi poteſt ex eo, quod Bonzii vocem illam uſurpaverint ad templa ſua nominanda; uti oſtendit P. Brancatus. ibidem.

§. 41. Adducunt Adverſarii alia quædam ex F. F. Varo; atque in primis, quod aſſerit ille ſe latè probaſſe in 1. parte cap. 3. vocem *Miao* ſignificare verum Templum. 37.

§. 42. Alterum ex P. Fr. Varo adductum ſpectat ad Regem *Chin ty*, quem dicit ille regnaſſe in China ante annos 900. ibidem.

§. 43. Tertium pertinet ad Regem primum Familiæ *Tang*, quem idem dicit regnaſſe ab annis 800. &c. ibidem.

§. 44. Reſponſio PP. Societatis oſtendētium ea eſſe valdè infirma, & Sinicæ eruditioni contraria. 38.

§. 45. Quomodo P. Philippuccius redarguerit P. Fr. Varum ſuper prima ex

ex tribus hiſce aſſertionibus. ibidem.

§. 46. Oſtenditur, quantum peccaverit P. F. Varo contra chronologiã Sinicam, loquendo de Rege *Chin ty*, quem *Chintum* appellare debuerat. 40.

§. 47. Oſtenditur contra eumdem Varum, nomen *Miao* Aulis Coufucianis ab alio Rege longè poſteriori impoſitum fuiſſe. ibidem.

§. 48. Oſtenditur, quàm parum ſit ad rem alia quædam Vari adnotatio. 41.

49. Oſtenditur alia falſitas Vari circa titulum *Miao* Aulis Confucianis adſcriptum. 42.

§. 50. Oſtenditur cultum Confucii non eſſe religioſum, ex modo, quo Adverſarii conantur id ipſum adſtruere. 43.

§. 51. *Dubium Tertium Adverſariorum*, ex inſcriptione Tabellæ Confucianæ arguentium adventum ejus Spiritus à Sinis credi, per ea, quæ Varus congeſſit pro Tabellis defunctorum. 45.

§. 52. Producitur primo loco id Textus quidam, ubi Varus dicit

clarè

clarè aſſeri. 46.

§. 53. Reſpondent PP. Societatis ad illum Textum, & oſtendunt ex ipſa libri qualitate non probari, quod Varus intendit. ibidem.

§. 54. Ad eumdem finem profertur ex P. Philippuccio Textus quidam priori ſimilis. 47.

§. 55. Profertur ex eodem P. Philippuccio Textus alius, qui videtur idem eſſe cum Textu illo adducto à P. Varo, & oſtenditur quàm nihil faciat ad ejus ſcopum. 48.

§. 56. Idem magis declaratur ex Reſponſo ejuſdem P.Philippuccii.ibid.

§. 57. Adducitur ad adverſariis alius quidam Textus per Varum extractus ex *Liki*, quo ajunt apparere verum ſenſum Sinenſium circa Tabellas. 49.

§. 58. PP. Societatis opponunt illi ReſponſionemP.Philippuccii,quam ad longum invenere. 50.

§. 59. Explicat P. Philippuccius ex ſpeciali Textu Sinico, quid ſit unio *hoen pe*. 51.

§. 60. Dicit P. Philippuccius in ci-

citatione Textus ab Adverſariis adducti omiſſum fuiſſe punctum quoddam notabile in 1. §. ex quo arguitur oppoſitum ejus quod intendunt. ibid.

§. 61. Dicit idem P. Philippuccius in 2. §. Textus adducti eſſe tria puncta diſtinguenda in ordine ad rem præſentem. 52.

§. 62. Agit P. Philippuccius de 1. puncto, quod continet cæremoniam offerendi pilum & ſanguinem; & declarat quid ea ſignificet ex intentione ſinarum. ibidem.

§. 63. Agit idem P. Philippuccius de 2. puncto, quod eſt vocatio animæ ad fruendum oblatione, & oſtendit illam eſſe meram quamdam affectus demonſtrationem. 53.

§. 64. Agit idem P. de 3. Puncto, quod ſpectat ad Tabellam *lim guey* dictam, & oſtendit ex commentario Sinico, illam nihil aliud eſſe, quàm repræſentationem defuncti. 54.

§. 65. Notat idem literam *Chù* ſignificare Tabellam defunctorum, & literam *xim* ſignificare defuncti. ibid.

§. 66. Concludit P. Philippuccius

cius

cius ex Textibus Sinicis non vocari ſeriò animas defunctorum à Sinis ad veniendum in Tabellas aut ad fruendum oblatis. 55.

§. 67. Adducitur à P. F. Varo Authoritas quædam ex Dictionario Sinico, *Cuguey dicto*, ad probandum Tabellas erigi in Aulis defunctorum, ut animæ in eis quieſcant. ibidem.

§. 68. Huic loco opponunt PP. Societatis expoſitionem P. Brancati ab ipſo Varo reprehenſam. 56.

§. 69. Declaratur ſingillatim ſenſus illius loci ex eodem P. Brancato. 57.

§. 70. Affertur alia explicatio eiuſdem loci ex PP. Brancato & Intorcetta. 58.

§. 71. Adducitur à P. F. Varo teſtimonium P. Antonii de Govea & aliorum quorumdam è Societate, pro diſperſione animarum in exiſtimatione Sinenſium. 59.

§. 72. Reſponſio PP. Societatis cum declaratione originali & authentica ipſius P. de Govea in contrarium. 60.

§. 73. PP. Brancatus & Intor-

cetta in eamdem ſententiam loquuntur. 62.

§. 74. Reliqui PP. Societatis in eadem cum illis ſententia fuere. ibid.

§. 75. Patres etiam Dominicani Jeſuitis conſenſerunt in puncto, de quo agitur. 63.

§. 76. *Dubium quartum Adverſariorum* de adventu Spiritus Confucii & Progenitorum ad Tabellas pro recipiendis oblationibus, à Sinenſibus credito, & ſpecialibus quibuſdam argumentis. 64.

§. 77. Ad id Afferunt 1. Adverſarii, orationes quaſdam ad Confucium directas ex Navarreta, & Relatione octo Miſſionariorum Ordinis S. Dominici, quas dicunt extare in Ritualibus Sinenſibus. ibidem.

§. 78. Negant PP. Societatis extare tales orationes in libris Sinicis. 65.

§. 79. Negant PP. Societatis ineſſe ullam authoritatem prædictæ Relationi Dominicanorum, idque probant in primis ex altiſſimo ſilentio Navarretæ. 66.

§. 80. Idem probatur ex prætenſa

ſa ſubſcriptione trium ex illis qui ſubſcripſiſſe dicuntur. ibidem.

§. 81. P. Intorcetta teſtatus eſt nominatim illos tres adhæſiſſe ſententiæ Jeſuitarum 67.

§. 82. Epiſtolæ PP. Timothei à Sancto Antonino & Dominici Coronado Dominicanorum de hoc argumento. 69.

§. 83. Ampliùs declaratur falſitas Relationis octo Dominicanis ſuppoſitæ ex facto quodam narrato à P. Brancato. 70.

§. 84. Idem denique oſtenditur ex diverſitate expoſitionum quæ reperitur inter illam Relationem, & Navarretam ac Varum: qui duo ſupponuntur eſſe ex ſubſcriptis. 71.

§. 85. Afferunt 2. Adverſarii Textum quemdam ex *liki* cap. *ly yun* à Varo productum. 72.

§. 86. Reſpondetur ad illum Textum à P. Philippuccio. 73.

§. 87. Proſecutio eiuſdem Reſponſionis. 74.

§. 88. Amplior eiuſdem declaratio. ibidem.

§. 89. Confirmatio dictorum ex Textu libri *liki*. 75.

§. 90. Alia confirmatio ex Commentario Sinico. ibidem.

§. 91. Ulterior confirmatio præcedentium ex alio textu *liki*. 76.

§. 92. Affertur tertius Textus ex *iki* in confirmationem ſupradictorum. ibidem.

§. 93. Adnotatio P. Philippuccii ſuper Textibus à ſe adductis. 78.

§. 94. Concluditur quanta cum cautela ſint accipiendi loci à Varo adducti. 79.

§. 95. Adverſarii 3. proferunt varios Textus ex libro *xi King* ad probandum ſpirituum deſcensũ. ibid.

§. 96. Reſponſio PP. Societatis ad illos Textus ex P.Philippuccio docente ibi agi de quodam opere poetico & adulatorio in honorem cuiuſdam Imperatoris facto; unde nihil poteſt ſolidi ac ſerii inferri. 80.

§. 97. Declarat præterea P. Philippuccius eſſe caſum quemdam particularem, ex quo non poteſt inferri propoſitio univerſalis. ibidem

§. 98.

§. 98. Affertur item explicatio Cōmentatoris Sinici reducentis invocationem ſpiritus ad quoddam deſiderium vivorum erga mortuos. 81.

§. 99. Judicium P. Philippuccii de Textu explicato ibidem.

§. 100. Quomodo accipienda ſit ſecundum illum, phraſis Sinica, *concedere felicitates abſque termino*; & quam parum obſtent allii Textus ex libro *xi King* producendi. 82.

§. 101. Adverſarii 4. proferunt authoritatem quamdam ex *Kiali*: ubi eſt oratio qua anima invitatur. ibid.

§. 102. Reſponſio PP. Societatis ex P. Philippuccio de modica authoritate libri *Kiali*. 83.

§. 103. Quæ fuerit eiuſdem libri approbatio? ibidem.

§. 104. Quàm inconſtantes ſint eius Textus. ibidem.

§. 105. Orationes ad defunctos ibidē contētæ, à quibus inſertę ſint. 84.

§. 106. Ejuſmodi orationes ex Sinenſium Doctrina ſunt meræ cæremoniæ adinſtar orationum funebrium, & panegyricarum. 85.

§. 107. Adverſarii 4. afferunt tanquam fundamẽtum quoddam univerſale pro omnibus iſtis materiis,cõceptum communem omnium,aut ferè omnium Sinenſium circa errores, qui ipſis imputantur. ibidem.

§. 108. Reſpondent PP. Societatis falſum eſſe, quod ibi Adverſarii ſupponunt, probantque ex magno numero teſtium oculatorum. 86.

§. 109. Adducitur ſpeciatum teſtimonium P. Franciſci Furtado ſcripto datum iam ab anno 1640. 87.

§. 110. P. Philippuccius redarguit acriter falſam illam ſuppoſitionem. ibidem.

§. 111. Idem adverſus Varum oſtendit contradictionem ejus ſuppoſitionis. 88.

§. 112. Exponit P. Philippuccius Doctrinam P. Vari, in qua contradictio illa continetur. 89.

§. 113. Concluſio P. Philippuccii ſuper Sinarum ſenſu. ibidem.

§. 114. P. Fr. Dominicus Sarpetri Dominicanus adverſatur illi Adverſariorum ſuppoſitioni. 90.

§. 115.

§. 115. Teſtimonium P. Iacobi le Faure de rudibus Sinenſibus. 91.

§. 116. *Quintum dubium ab Adverſariis motum*: an cæremoniæ erga Confucium, & Progenitores fieri ſoleant erga viventes. Et quid illi Ieſuitis circa hoc imputent, quidque primo proferant ex Navarreta. 93.

§. 117. Reſpondent PP. Societatis negando, quod ſibi imputatum eſt, & adducendo teſtimonium Illuſtriſſimi D. à Leoniſſa jam adductum in Expoſitione facti. 94.

§. 118. Oſtenditur contra Navarretam ex teſtimoniis fide dignis fieri in China erga vivos, quæ ille hic negavit. ibid.

§. 119. Oſtenditur id ſpeciatim de accenſione candelarum, & ſuffituum. 95.

§. 120. P. Brancatus, & Intorcetta reſponderunt ad Argumentum, quod dicit Navarretta ſe in Ieſuitas convertiſſe; ubi & indicatur quomodo ille variaverit extrà Chinam. 96.

§. 121. P. Intorcetta alloquens Navarretam, dicit illum ibi loqui ſolûm

lùm in genere de cæremoniis Confucianis. 97.
§. 122. Quid P. Intorcetta eidem Navarretæ reſponderit, dicenti cæremonias Confucianas eſſe diverſas ab iis quas diſcipuli erga Magiſtros vivos adhibent? ibid.
§. 123. Cæremoniæ, quæ fiunt erga Magiſtros vivos, non ſunt quoad ſubſtantialia diverſæ à Confucianis. pag. 98.
§. 124. Reſpondet P. Intorcetta P. F. Navarretæ ſuper paritate de crematione papyri. 99.
§. 125. Quid inferat idem P. Intorcetta ex communi uſu talis paritatis adverſus Gentiles. 100.
§. 126. P. Brancatus reſpondet ſimiliter P. F. Navarretæ, diſtinguendo inter ſubſtantiam, & modum oblatorum. ibid.
§. 127. Dicit P. Brancatus munera, & obſequia Confuſio vivo, & mortuo oblata, eadem eſſe quoad ſubſtantiam, & finem, & differre quoad modum & ſolemnitatem. 101.
§. 128. Reſpondet idem P. Brancatus

catus ad argumentnm Navarretæ de cematione papyri, & oſtendit illud eſſe contra ipſum. 102.

§. 129. Declarat idem, quomodo combuſtio Serici in cæremoniis Confucianis non repugnet axiomati Sinico *de ſerviendo mortuis, ſicut vivis*. 103.

§. 130. Idem declaratum eſt ab Illuſtriſſimis D. Gregorio Lopez, & Ioanne Franciſco à Leoniſſa. ibid.

§. 131. Adducunt ſecundo Adverſarii varia ex P. F. Varo, in quibus ajunt differre ritus mortuorum à ritibus vivorum. 104.

§. 132. Reſpondent PP. Societatis multa ibi adduci, quæ non ſubſiſtunt, aut quæ ad alios Spiritus pertinent, quàm defunctorum. ibid.

§. 133. Idem ampliùs declaratur ex P.Philipuccio. 105.

§. 134. Ulterior confirmatio præcedentium ex eodem. 106.

§. 135. Declaratur ex Dominis Lopez, & à Leoniſſa, quid ſit communicare cum ſpiritibus claris ſuorum Progenitorum ſecundum Doctores

res

res Sinenſes? ibid.

§. 136. Explicatur ex P. Philippuccio, quo ſenſu verum ſit cæremonias, quæ in China fiunt ergà mortuos, fieri erga vivos, cum appoſita diſtinctione. 107.

§. 137. Exponitur diverſitas, quæ eſt in modo, quo ſinæ tractant omnes ſuos in ſuis *Cho ven*, ideſt, orationibus funebribus. 108.

§. 138. Oblationes in China eodem modo fiunt vivis, & defunctis, & æquè vocantur *Ci*; ac ſimiliter incenduntur odores cum profunda reverentia coram tabella expoſita &c. ex P. Philipuccio. 109

§. 139. Et ſi aliqua ſit differentia inter cæremonias erga vivos, & mortuos apud ſinas, ea tamen non impedit, quò minus maneant iſtæ intra terminos politicos, ſecluſis ſemper ſuperſtitioſis. ibid.

§. 140. Oſtenditur ex P. Philippuccio, quàm pravè P. F. Varo interpretatus ſit Sinicum axioma: *Honorantur mortui, ſicut honorantur vivi*, 110.

§. 141. Referuntur circa hoc expreſſiones P. F. Vari. ibid.

§. 142. Refelluntur eiuſmodi expreſſiones P. F. Vari. 111.

§. 143. *Sextum dubium ab Adverſariis motum*: Quo fine ſanguis, & pili offerantur in ritibus confucianis, & poſteà ſepeliantur? Et quid illi ſuper hoc proferant ex Varo? 113.

§. 144. Reſponſio PP. Societatis, ad id quod dixit Varus, ejuſmodi cæremoniam locum etiam habere in Sacrificio, quod fit cælo, & terræ. 114.

§. 145. Affertur deſcriptio Sacrificii, quod fit cælo, & terræ, ex verbis *liKi*, in quibus nulla invenitur mentio prædictæ cæremoniæ apud P. Intorcettam. ibid.

§. 146. Exponitur ſenſus literatorum Sinenſium circa finem ejuſmodi cæremoniæ. 116.

§. 147. Proponuntur authoritates Librorum Sinenſium, quibus ſenſus ille continetur. 117.

§. 148. In iis cernitur inſignis quædam aberratio P. F. Vari accipientis partem interiorem pro Aula inte-

interiore, & partem exteriorem pro Aula principali. 119.

§. 149 Oſtenditur ex P. Philippuccio hallucinationem Adverſariorum provenire ex prava intelligentia duarum phraſium Sinicarum. ibid.

§. 150. Prima phraſis eſt *y xin*, & altera eſt *Cbào Chò*. 120.

§. 151. Quid ſignificet *y xin* in Textu Sinico adducto? ibid.

§. 152. Significatio adducta probatur ex variis Textibus Sinicis. ibid.

§. 153. Quid ſignificet litera *xi* apud Sinas. 121.

§. 154. Concluditur ex P. Philippuccio, quod *y xin* non poteſt ſignificare *animam adhærere, vel ſedere* in Textu adducto ab Adverſarijs, ſed ſolum *repræſentare defunctum*. 122.

§. 155. Quid ſignificet *Chao Cho*, in Textu ab Adverſariis adducto, ex P. Philippuccio? ibid.

§. 156. Verſio Textus Sinici ad rem præſentem facientis. 123.

§. 157. Duo puncta continentur in Textu prædicto. ibid.

§. 158.

§. 158. Negatur literam *y* ſignificare ibi requiem, aut locum requiei. ibid.

§. 159. Negatur ex vi ejuſdem Textus probari, quòd Sinæ credant ſpiritus venire ad Tabellas. 124.

§. 160. Negatur ibi ſignificari, quòd vocentur ſpiritus cum ſanguine, & pilis animalis. ibid.

§. 161. Negatur, quod ritus iſte, ſcilicet oblationis pili, & ſanguinis, non ſit politicus ex eo præcisè, quod non fiat erga viventes; tametſi non negetur habere ſpeciem quamdam ſuperſtitionis. ibid.

§. 162. Negatur denique haberi in Textu ullo Sinico, quòd *intus vocare cum ſanguine, & foras cum pilis*, ſit regula, ſeù modus reuniendi *quei xin*, ut ſibi in Sacrificio complaceant; uti Adverſarii contendunt. pag. 125.

§. 163. Hallucinatio Adverſariorum, qui poſuerunt, *vocare ſpiritus cum ſanguine, & extra cum pilis*: Vbi Textus Sinicus dicit, quòd *res oblata defunctis, interius per ſanguinem,*

nem, & exterius per pilos oſtenditur integra. ibid.

§. 164. Adducunt ſecundo Adverſarii varia ex Navarreta, de admonitione ſpirituum per pilos, & ſanguinem. 126

§. 165. Reſponſio PP. Societatis, quòd iidem videantur eſſe Textus Navarretæ cum Textibus Vari, & quòd utriuſque dicta fundentur in prava intelligentia linguæ Sinicæ. ibid.

§. 166. Oſtenditur, quomodo aſſertio Navarretæ de prædicta admonitione deſtruatur per authoritatem ab ipſomet adductam. 127

§. 167. Oſtenditur item hallucinationem Adverſariorum provenire ex prava intelligentiā Sinicæ literæ *Cao* dictæ. ibid.

§. 168. *Septimum dubium ab Adverſariis motum*: An ante oblationes Confucio faciendas præſcripta ſint aliquot dierum jejunia, & continentia? Quod utrumque ab illis aſſertum fuit in Rel. ad S. C. P. ex Rituali Sinico *Tamin hoey tien* in quo tamen non eſt expreſſum. 129

§. 169.

§ 169. Adverſarii quod antea abſolutè affirmaverant de illa cæremonia, id nunc probare conantur quadam ſolum argumentatione; idque 1. ex Authoribus Jeſuitis. ibid.

§. 170. Probant id 2. Adverſarii ex P.F.Varo Decretum Regis *Humvu* proferente. 130.

§. 171. Probant id 3. ex P. F. Navarretta producente alias quasdam authoritates librorum Sinicorum. 131.

§. 172. Reſpondent PP. Societatis, quòd ſi id in China fieret, facillimum fuiſſet cognoſcere interrogando literatos. ibidem.

§. 173. Illuſtriſſimus à Leoniſſa declaravit ſibi non conſtare, utrum id obſervaretur. 132.

§. 174. PP. Societatis hîc duo dicunt. ibidem.

§. 175. Oſtenditur teſtimonia Jeſuitarum ab Adverſariis adducta non facere pro ipſis. 133.

§. 176. Oſtenditur malè citatum fuiſſe à P. F. Varo decretum Regis *Humvu* ex *Tamin hoey tieu*, itemque malè explicatum. 134.

§. 177. Aſſertur explicatio P. Brancati. 135.

§. 178. Quantâ diligentiâ uſus fuerit P. Brancatus, ut rectè intelligeret ritus Confucianos? 136.

§. 179. P. F. Varo non probat intentum pro ipſis Progenitoribus defunctis. ibidem.

§. 180. Oſtenditur quam malè cohæream duo loca à Varo adducta. 137.

§. 181. P. F. Varo libros *liKi* ſolùm in genere citavit, quaſi timuerit convinci falſitatis ex qualitate loci citandi. 138.

§. 182. Reſponſio P. Philipuccii ad loca Navarretæ. ibidem.

§. 183. Oſtenditur quantùm aberraverit P. F. Navarreta in citando libro claſſico *lun yu* dicto. 139.

§. 184. Concluditur prædictam obſervantiam fuiſſe ab Adverſariis aſſertam abſque ſufficienti fundamento. Tum adducitur ſuper his obſervatio generalis P. F. Dominici Mariæ Sarpetri Dominicani. 140.

§. 185. Adducitur etiam adnotatio

tatio

tatio P. Intorcettæ. 141.

§. 186. Ex modo quo P.F.Varo, & Illuſtriſſimus à Leoniſſa obſervantiam prædictam repræſentant, ea videtur ad cultum purè civilem reduci. 142.

§. 187. Inſignis quidam locus S.Joannis Chryſoſtomi. 143.

§. 188. *Octavum dubium ab Adverſariis motum*: An cæremoniis Confucianis finitis oblationibus promittātur felicitates? Ubi Adverſariis toti ſunt in probando vocem *fŏ*, ſignificare felicitatem, quaſi Jeſuitæ id negaſſent. ibid.

§. 189. Adducitur 1. Varus cum duabus collectis, ſeu orationibus, quas dicit fieri Confucio poſt oblationem. pag. 144.

§. 190. Adducitur 2. Relatio octo Dominicanorum cum ampla explicatione prædictarum orationum. ibidem.

§. 191. Adducuntur 3. plura alia loca ex libro *xi King* à P. Fr. Varo deſumpta. 145.

§. 192. Profertur 4. ex eodem Varo oratio contenta in *kiali*. 146.

§. 193. Adducitur 5. Varus re-

darguens PP.Brancatum, & Fabrum de prava interpretatione *Focieu.* 147.
§. 594. Adducitur 6. KirKerus pro inter pretatione literæ *fō.* 148.
§. 195. Reſpondent PP.Societatis attributum ſibi falsò fuiſſe, quod negaverint literâ *fō* ſignificari felicitatem. ibidem.
§. 196. Quid colligendum ex tali impugnatione? 149.
§. 197. Quid quæratur in explicatione literæ *fō.* 150.
§. 198. PP. Societatis negant haberi in oblationibus Confucianis duas orationes à Varo ſuppoſitas. ibidem.
§. 199. Idem negatur de Relatione ſuppoſititia octo Dominicanorum. pag. 152.
§. 200. Oſtenditur, unde prior iſtarum orationum prodierit, & quis ſit verus ſenſus vocum, ex quibus compoſita fuit ab Adverſariis. ibidem.
§. 201. Idem oſtenditur de poſteriori oratione. 153.
§. 202. Declaratur amplius ex P. Intorcetta ſenſus verborum Sinenſium, ex quibus Adverſarii finxere ſuam illam po-

poſteriorem orationem ad Confucium. 154.

§. 203. P. Intorcetta affert alium locum ex *liKi*, in quo ſunt verba, ex quibus ejuſmodi oratio confiƈta fuit. pag. 155.

§. 204. Non negant PP. Societatis Sinas petere felicitatem; ſed negant illos eam petere à defunƈtis. ibidem.

§. 205. Relatio oƈto Dominicanorum nomine ſubſcripta, hîc rurſus falſitatis redarguitur. 156.

§. 206. Reſpondetur ad loca Vari deprompta ex libro *xi king*. 158.

§. 207. Explicatur litera *fō* ex P. Philippuccio. ibidem.

§. 208. Admonitio P. Philippuccii ſuper ejuſmodi Textibus. ibidem.

§. 209. P. Philippuccius notat textum, in quo eſt litera *fō*, dicere, quod illa ibi non ſignificet proſperitates, aut felicitates. 159.

§. 210. Oſtendit P. Philippuccius literam *fō* explicari debere in Textu adduƈto per ritus perfeƈtionem. 160.

§. 211. Idem ab eodem oſtenditur de alio Textu Sinico. ibidem.

§. 212. Confirmat id P. Philippuccius per alium Textum. 161.

§. 213. Quid concludendum ex præcedentibus? 162.

§. 214. Quid ſentiendum de oratione contenta in *Kiali*. 163.

§. 215. PP. Brancatus, & le Faure malè à Varo redarguti? ibidem.

§. 216. Authoritas KirKeri pro intelligentia literæ *fŏ* fruſtra adducta. ibidem.

§. 217. *Nouum dubium ab Adverſariis motum*: An Sinæ petant, vel ſperant à Confucio? Ubi ante omnia confitentur non poſſe pro hoc afferri ſpecialem authoritatem ex libris antiquis: at pro eo adducunt 1. quemdam locum ex conſtitutione Imperatoris *kiacim*. 164.

§. 218. Adducunt 2. Adverſarii Conventum Kiatinienſem Jeſuitarum. pag. 156.

§. 219. Ajunt 3. ſe poſſe huc adducere authoritates ſpectantes ad oblationem *ci*. ibidem.

§. 220. Adducunt 4. dictum quoddam Illuſtriſſimi à Leoniſſa, pag.

pag. 166.

§. 221. Reſponſio PP. Societatis, quod ex confeſſione Adverſariorum videatur inferendum, *nihil peti, nec ſperari à Confucio.* ibidem.

§. 222. Quid reſpondendum ad locum adductum ab Illuſtriſſimo à Leoniſſa ex Imperiali conſtitutione. pag. 167.

§. 223. Quid ad authoritatem conventus kiatinienſis à Navarreta ſuppoſitam? 169.

§. 224. Quid ad authoritates adducendas pro oblatione ei. 170.

§. 225. Quid ad quemdam locum Domini à Leoniſſa? ibidem.

§. 226. PP. Societatis negarunt, & negant extare in libris Sinicis locum illum ab Illuſtriſſimo à Leoniſſa adductum. 172.

§. 227. Quàm vagè & incertè loqui ille ſoleat? ibidem.

§. 228. *Decimum Dubium ab Adverſariis motum*: De conſecratione per ſanguinem ædium, & vaſorum pro Progenitoribus, & Confucio. Ac 1. authoritates ex Varo adductæ. 173.

§. 229. Adducitur 2. teſtimonium Illuſtriſſimi à Leoniſſa. 174.

§. 230. Adducuntur 3. aliæ authoritates ex Varo. 175.

§. 231. Affertur 4. aliquid ſpeciale de vaſis ex eodem Varo. ibidem.

§. 232. Afferuntur 5. alia ex eodem pro inſtrumentis oblationum. 176.

§. 233. Adducitur 6. Navarreta. pag. 177.

§. 234. Reſponſio PP. Societatis: quod hujuſmodi cæremonia, ſi verè fieret, facile potuiſſet probari aliter, quàm per libros antiquos. ibidem.

§. 235. Oſtenditur ex ipſa confeſſione P. Fr. Vari, illam cæremoniam non fieri. 178.

§. 236. Idem confirmatur ex quodam teſtimonio Illuſtriſſimi Domini à Leoniſſa. 179.

§. 237. Atteſtatio P. Philippucci de modica authoritate loci, quo dicitur contineri prædicta cæremonia. 180.

§. 238. Teſtimonium Illuſtriſſimi D. à Leoniſſa in contrarium, nihil obſtat. 181.

§. 239. Expenditur ejus teſtimonium.

nium. ibidem.

§. 240. Concluditur, quam incerta ſit fides eorum, qui tali teſtimonio nituntur. 183.

§. 241. Infertur quid ſentiendum de conſuetudine vaſorum. ibidem.

§. 242. Quid de veneratione inſtrumentorum? 184.

§. 243. Quid ſit communicare cum claris ſpiritibus, juxtà modum loquendi Sinarum. 185.

§. 244. *Dubium undecimum ab Adverſariis motum*: An ſint veſtes particulares ritibus Progenitorum deſtinatæ? Ubi Adverſarii conſentiunt cum Jeſuitis circa ritus Confucii, & diſſentiunt circa ritus Progenitorum. 186.

§. 245. Afferunt 1. dicta aliqua Navarretæ, & Vari. ibidem.

§. 246. Afferunt 2. locum quemdam ex *liKi* à Varo productum. pag. 187.

§. 247. Afferunt 3. alias auctoritates ejuſdem Vari. 188.

§. 248. Reſponſio PP. Societatis de infirmitate cauſæ Adverſariorum in hac parte. ibidem.

§. 249. Quid inferendum ex confeſſione Adverſariorum fatentium non eſſe inſtitutas veſtes particulares pro cæremoniis Confucianis. 189.

§. 250. Etiam ſi eſſent veſtes particulares pro ritibus Progenitorum, non poſſet inde concludi illos eſſe religioſos. 190.

§. 251. Ad 1. oſtenditur eſſe ibi aliquam contradictionem. 191.

§. 252. Ad 2. & 3. opponitur teſtimonium teſtis cujuſdam oculati. 192.

§. 253. Opponitur etiam teſtimonium ipſius D. à Leoniſſa. 194.

§. 254. *Dubium duodecimum*: An ſit Miniſter ſpecialiter deputatus in ritibus Confucii, & Progenitorum? ubi 1. aſſertur ab Adverſariis authoritas Vari pro ritibus Confucii. 195.

§. 255. Aſſertur 2. authoritas ejuſdem Vari pro ritibus Progenitorum. 196.

§. 256. Aſſertur 4. authoritas Vari pro nominibus offerentium, & aſſiſtentium in Progenitorum oblationibus. 197.

§. 257. Reſponſio PP. Societatis circa

circa abuſum vocis *Miniſtri*, allato quodam exemplo. 198.

§. 218. Expenditur vis exempli allati. 200.

§. 259. Licet apud Sinas determinata ſit qualitas, & ordo perſonarum pro ritibus Confucii, & Progenitorum, non ſunt tamen *Miniſtri* ſpecialiter deputati, ſicut pro rebus ſacris. 201.

§. 260. Id declaratur ex P. Philippuccio. 202.

§. 261. P. Varus illud miniſterium aliqua ex parte per ſe ipſum in China exercuit, una cum aliis Miſſionariis. ib.

§. 262. Id etiam præſtitit Dominus à Leoniſſa. 204.

§. 263. *Dubium decimumtertium*: An dies oblationis faciendæ per ſortes eligatus? ubi licet Adverſarii agnoſcant uſum illum ſortium à Jeſuitis haberi pro ſuperſtitioſo, adducunt tamen 1. quæcumque de tali uſu Varus conceſſit. ibidem.

§. 264. Adducunt 2. quod dixit Varus de uſu ſortium in oblationibus Progenitorum. 205.

§. 265. Adducunt 3. deſcriptionem

nem cæremoniæ eligendi diem à Varo depromptam ex *Kiali*. 206.

§. 266. Reſpondent PP. Societatis inutilem videri illum laborem Adverſariorum poſt Jeſuitarum declarationem ipſis non incognitam, de admixtione ſuperſtitionum in ritibus Sinicis. ibidem.

§. 267. PP. Societatis ſolùm contendunt ſuperſtitiones ritibus Sinicis admixtas non pertinere ad ſubſtantiam oblationum Sinenſium, idque etiam probant ex teſtimonio Adverſariorum. 207.

§. 268. Quid intendant Adverſarii in præſenti quæſtione de ſortibus. pag. 208.

§. 269 Producitur objectio quædam ſimilis jam olim facta in China, pag. 209.

§. 270. Reſponſio P. Philippuccii ad illam objectionem. 210.

§. 271. Continuatio ejuſdem Reſponſionis. 211.

§. 272. Quam nutet fides eorum, quæ dixit Varus num. 1. circa inventionem, & uſum ſortium apud Sinas. pag.

pag. 212.

§. 273. Quàm modica ſit authoritas capitis *vam chi* à Varo adducti nu. ſecundo. ibidem.

§. 274. Quàm modica item ſit authoritas *kiali* ab eodem Varo adducti num.3. 213.

§. 177. Quæ dixit Varus de inventione ſortium apud Sinas, refutantur ex Proemio libri, cui titulus eſt: *Confucius Sinarum Philoſophus.* ibid.

§. 276. Varus figuras hieroglyphicas pro magicis accepit. 215.

§. 257. Unde ſit accipienda notitia libri *ye king*, & ſexaginta quatuor figurarum, quas continet. ibidem.

§. 258. Quis fuerit author libri *ye kin*, ubi & oſtenditur ejus conſilium fuiſſe longè diverſum ab eo, quod Varus imaginatus eſt. 216.

§. 279. Declaratur quorſum figuræ illæ inſtitutæ fuerint. 217.

§. 250. Varus non doctos Sinenſes, ſed vulgum ſecutus eſt pro intelligentia libri *ye King*. 218.

§. 281. Quo fundamento Varus Regem *Ven vang*, & Confucium Regi

Fohi

Fohi aſſociaverit in compoſitione libri *ye King*. 219.

§. 282. Quomodo Confucius explicuerit figuras libri *ye king*, in ſenſu phyſico. ibidem.

§. 283. Quomodo idem illas in ſenſu morali declaraverit. 220.

§. 284. Quæ ſint fundamenta fabulæ P.Fr.Vari ſuper libro *ye king*. pag. 221.

§. 285. De ſortibus in libro *ye King* contentis, Confucii ſenſus. 222.

§. 286. Quorſum fuerit liber ille à veteribus compoſitus ex relatione Confucii. 223.

§. 287. Aperitur cauſa offenſionis P. Fr. Vari, & D. Caroli Maigrot in librum *ye King*. ibidem.

§. 288. *Dubium decimum quartum ab Adverſariis motum*. An Sinæ aliquid petant, vel ſperent à ſuis Progenitoribus defunctis? ubi 1. varia proferuntur ex Varo ad id probandum. 225.

§. 289. Proferuntur 2. varia ex Navarretta ad eumdem finem, cum adnotatione Vari de quadam omiſſione

ne

ne PP. Brancati, & Fabri. 226.

§. 290. Afferuntur 3. aliæ authoritates ex *liKi* cap. *lylien.* 227.

§. 291. Adducitur 4. alia quædam authoritas ex *liKi* cap. *Chi fa.* 228.

§. 292. Adducitur 5. liber *xu King*, cum exemplis Regum *ven vang*, *chim tam* &c. ibidem.

§. 293. Adducitur 6. *Kiali* cum variis orationibus ad defunctos. Itemque *Kiayu* cum declaratione Navarretæ. 229.

§. 294. Adducuntur multa ſpeciatim ex Navarretta de diſpoſitionibus, & effectibus oblationis *ci.* ibid.

§. 295. Reſponſio PP. Societatis de affectata ab Adverſariis repetitione earumdem authoritatum. 230.

§. 296. Duo hic ſpeciatim dicuntur à PP. Societatis. Primum ſpectat ad modicam fidem, quæ adhiberi poteſt tot Textibus ex Varo, & Navarreta accumulatis. 231.

§. 297. Alterum pertinet ad Authores, ex quibus petenda eſt ſolutio eorum, quæ in contrarium prolata ſunt. 232.

§.298.

§. 298. Reſpondetur ad 1. locum Vari petitum ex cap. *yue ling*, primò ex P. Fabro. 233.

§. 299. Reſpondetur ad eumdem Vari locum ex P. Intorcetta. 234.

§. 300. Declaratur ampliùs illa Reſponſio. 236.

§. 301. Reſpondetur ex eodem P. Intorcetta ad ſecundum locum Navarretæ petitum ex eodem cap. *yue lim*. ibidem.

§. 302. Qua ratione antiqui Sinæ preces ad quoſdam defunctos adhibuerint: ubi & quomodo Deum agnoverint ſub nomine *xamti*. 238.

§. 303. Notatur duplex hallucinatio Vari. Prima eſt in eo, quod animas diſtinxerit à ſpiritibus ultimo loco nominatis. 239.

§. 304. Altera hallucinatio in reprehenſione PP. Brancati, & Fabri. pag. 240.

§. 305. Producitur alia hallucinatio uni ex præcedentibus ſimilis, cum Reſponſione P. Philippuccii. 241.

§. 309. Reſpondetur ad tertium locum ex cap. *ly yung*: à P. Philippuccio

cio oſtendente Textum cum ſuis Gloſſis, & commentariis habere ſenſum omninò diverſum ab eo, quod Adverſarii intendunt. 242.

§. 307. Proſequitur P. Philippuccius explicationem ejus loci. 243.

§. 308. Declarat P. Philippuccius ſingillatim veritatem datæ explicationis: ac 1. quidem de *cho*, ſeu oratione funebri. 244.

§. 309. Agit 2. P. Philippuccius de aliis quibuſdam literis Sinicis. 246.

§. 310. Agit 3. de concluſione Textus. ibidem.

§. 311. Multa notatur in citato capite *lyyun*, ab ipſis Doctoribus Sinenſibus. 247.

§. 312. Reſpondetur ad 4. locum ex *liki* cap. *chi fa*, offerendo item reſponſionem datam à P. Philippuccio. ibidem.

§. 313. Concludit P. Philippuccius objectionem non concordare cum Textu. 149.

§. 314. Oſtendit idem, quòd *kitao* non ſit oratio religioſa, ſed funebris. ibidem.

§. 315. Infertur dupliciter erraſſe Varum in citatione loci prædicti. 251.

§. 316. Confirmatur præcedens Reſponſio ex Reſponſione P. Philippuccii ad alium Textum. ibidem.

§. 317. Profertur commentarius Textus proximè adducti. 252.

§. 318. Quomodo ab utroque præcedentia confirmentur. ibidem.

§. 319. Reſpondetur ad 5. locum, complectentem authoritates petitas ex libro *xu King* indicando primùm reſponſiones jam datas. 253.

§. 320. Affertur reſponſio P. Philippuccii ad primam authoritatem à Varo adductam ex libro *xu King*; ubi oſtenditur nihil eſſe, quod illi faveat. ibidem.

§. 321. P. Philippuccius ex ultima periodo Textus adducti infert contrarium ejus, quod Varus intendebat, idque etiam magis confirmat ex commentario ejuſdem Textus. 254.

§. 322. Affertur reſponſio ejuſdem P. Philippuccii ad ſecundam authoritatem à Varo adductam ex libro *xu king*, ſeu potius *xi King* de Rege *venvam*.

§. 323. Concluditur locum illum nihil facere ad ſcopum Adverſariorum. 256.

§. 324. Aſſertur reſponſio P. Philippuccii ad tertiam authoritatem Vari de Principe *Cheu cum* petente à *San vam*, ut ſint ſui protectores apud *Xamti*. ib.

§. 325. *Cheu cum* recognoſcit abſolutum dominium Cæli, ſeu *Xamti*, neque ex hoc textu poteſt deduci generalis conſequentia, quòd Sinæ petant à ſuis defunctis. 257.

§. 326. Non magis id poteſt inferri apud Sinas, quàm apud Chriſtianos ex cultu Sanctorum. ibidem.

§. 327. Idem reſponſum valet pro aliis caſibus ſimilibus. 258.

§. 328. Aſſertur reſponſio ejuſdem P. Philippuccii ad quartam authoritatem Vari de Rege *Chintam*; oſtenditurque ex commentatore nihil in illa eſſe pro precibus ad defunctos communiter adhibitis. ibidem.

§. 329. Oſtenditur item ex Commentatore, quid ſit *deſcendere defunctum ad fruendum oblatione*. 260.

§. 330. Quid ſit concedere felici-

 tates

tates abſque termino. ibidem.

§. 331. Reſpondetur ad 6. locum de orationibus *Kiali* ex P. Philippuccio oſtendente illas eſſe puras cæremonias. 261.

§. 332. Idem confirmatur ex alio Textu per eumdem adducto. 262.

§. 333. Confirmatur ampliùs ex commentario Textus adducti. 264.

§. 334. Continuatio ejuſdem commentarii. 265.

§. 335. Quid inde concludat P. Philippuccius. ibidem.

§. 336. Reſpondetur ab eodem ad objectiones petitas ex *Kia yu* offerendo Textum ejus integrum. 266.

§. 337. Oſtendit P. Philippuccius ex Textu, & ejus commentario, non ſubſiſtere illas objectiones. 267.

§. 338. Quo ſenſu oblationes mortuorum dicantur ibi ſuperare reliquos omnes ritus polititos. 268.

§. 339. Quo ſenſu dicatur ibidem ex obſervatione rituum præſcriptorũ, provenire felix regimen Regni. 269.

§. 340. Quæ ſit authoritas libri *Kia yu*, contra id quod dixit Navarreta. ib.

§. 341.

§. 341. Reſpondetur ad 7. à Navarreta adductum de diſpoſitionibus, & effectibus oblationis *ci* dictæ, ex P. Philippuccio, oſtendente locum fuiſſe malè intellectum. 270.

§. 342. Idem ampliùs declaratur ex eodem. 271.

§. 343. Ex hoc loco magis probatur cultum defunctorum apud Sinas eſſe politicum. ibidem.

§. 344. Detegitur ingens quædam hallucinatio Navarretæ, & ſequacium, ſumentium *duos Mandarinos* pro *duabus orationibus*. 272.

§. 345. Textus afferit oblationes defunctorum eſſe ſine petitionibus. pag. 273.

§. 346. Idem confirmatur ex commentario ejuſdem Textus. 274.

§. 347. Concluſio P. Philippuccii ex utroque. ibidem.

§. 348. Reſponſio P. Philippuccii ad locum Navarretæ de tribus rebus in oblatione *ci* contentis: ubi oſtenditur illas non pertinere ad oblationes defunctorum. 275.

§. 349. Agitur hic ſpeciatim de

peccatis, quæ averti dicuntur per obationem *ci*, & oſtenditur alium eſſe ſenſum textus. 276.

§. 350. Confirmatur præcedens reſponſio aliâ reſponſione ejuſdem P. Philippuccii. 277.

§. 351. PP. Societatis reſponderunt hactenus ad omnes Textus à PP. FF. Varo, & Navarreta productos. ib.

§. 352. *Refelluntur objectiones P. F. Vari in PP. Fabrum, & Brancatum*; ac primò quidem in Fabrum, quod duas ſolùm authoritates pro ſe attulerit. 278.

§. 353. Reſponſio PP. Societatis ad primam illam Vari objectionem. pag. 279.

§. 354. Obiicit Varus in Brancatum, quòd duas illas authoritates non bene retulerit. 280.

§. 355. Reſponſio PP. Societatis, circa priorem locum. ibidem.

§. 356. Eorumdem reſponſio circa locum poſteriorem. 281.

§. 357. Producitur alia objectio Vari in Brancatum de loco cujuſdam commentatoris malè relato. 283.

§. 358.

§. 258. Refellitur illa Vari objectio ex loco integro per Intorcettam adducto. 284.

§. 359. Expenduntur verba loci adducti. 285.

§. 360. Confirmatur data reſponſio ex alio loco alterius commentatoris. 286.

§. 361. Profertur 4. Vari objectio in Brancatum, & Fabrum. 287.

§. 362. Reſponſio PP. Societatis, qua oſtenditur illius inanitas. ibidem.

§. 363. Adnotatio P. Philippuccii ad idem pertinens. 288.

§. 364. Confirmatio ſupradictorum ex eodem P. Philippuccio, & P. Fabro. 289.

§. 366. *Dubium decimum quintum ab Adverſariis motum* : An ritus Confucii, & Progenitorum pertineant ad cultum religioſum : & an cultus ei ſit cultus religioſus; ubi 1. adducitur Navarreta citans pro ſe Authores quoſdam Jeſuitas. ibidem.

§. 367. Adducitur 2. Navarreta multas proferens authoritates ex libro P. Intorcettæ, cui titulus eſt : *Sapientia*

Sinica. 291.
§. 368. Adducitur 3. idem Navarreta probans ex profeſſo cultum *chi* eſſe genus cultus Sacrificii. 292.
§. 369. Adducitur 4. Varus contendens cultum *chi* eſſe ſaltem genus cultus religioſi, ac reſpondens authoritatibus à Fabro allatis. 234.
§. 370. Reſponſio PP. Societatis de termino contentionum ab Adverſariis excitatarum. 296.
§. 371. Oſtenditur hic illos ſibi contradicere. ibidem.
§. 372. Reſpondetur ſingillatim ad 1. de Authoribus Jeſuitis à Navarreta pro ſe adductis. 297.
§. 373. Notatur, quàm ineptè citentur ejuſmodi Authores, pro tot Dominicanis, qui ſententiam Jeſuitarum defenderunt. 299.
§. 374. Reſpondetur ad 2. de locis à Navarreta extractis ex *Sapientia Sinica* P. Intorcettæ, opponendo illi librum ejuſdem P. Intorcettæ *de cultu Sinenſium.* ibidem.
§. 376. Opponitur eidem Navarretæ liber ipſe *Sapientiæ*, *ſeu Scientiæ Sinicæ* à P. Intorcetta, & aliis tribus Miſſio-

Miſſionariis Sinenſibus editus, qui Romæ habetur. 300.
§. 376. Producitur locus ex illo libro planè oppoſitus loco Navarretæ. ibidem.
§. 377. Producitur locus alius ſimiliter oppoſitus Navarretæ. 301.
§. 378. Producuntur alii loci eidem contrarii. 302.
§. 379. Reſpondetur ad 3. de probationibus Navarretæ ad oſtendendum cultum *chi* eſſe genus ſacrificii. 303.
§. 380. Negatur, quod adducit Navarreta, pro prima ratione: ſcilicet quod nulla oblatio facta vivis vocetur *chi*, ſeu *ci*; & contrarium oſtenditur ex teſtimonio PP. Brancati, & Philippuccii. ibidem.
§. 381. Etiamſi verum eſſet, quod Navarretta aſſumit; non tamen inde ſequeretur quod ille intendit: uti exemplis oſtenditur ex P. Philippuccio adductis. 304.
§. 382. Idem amplius confirmatur ex eodem P. Philippuccio, teſtante P. F. Varum unà cum aliis Miſſionariis præſtitiſſe in China ritum *Fiao ci* dictum

ctum erga defunctos Sinenſes. 306.
§. 383. Judicium de 2. & 3. probationibus Navarretæ. 307.
§. 384. Oſtenditur, quàm falſum ſit,quod continetur quarta probatione Navarretæ, de primis Patribus Societatis. ibidem.
§. 385. Adducitur ad id locus ſingularis P. Intorcettæ, reſpondentis P. Fr. Antonio de Sancta Maria. 309.
§. 386. Ex præcedentibus infertur falſitas 5. probationis Navarrettæ. 310.
§. 387. Reſpondetur ad 4.ex Varo contendente cultum *ci* eſſe genus quoddam cultus religioſi adverſus P. Fabrū. ac primùm quidem conceditur prima Vari ſuppoſitio; nimirum, quod ubi ponitur à Fabro pia oblatio, reſpondet vox Sinica *ci*. 311.
§. 388. Negatur altera Vari ſuppoſitio, nimirum, quòd in oblatione *ci*, petantur, promittantur,& ſperentur bona à defunctis pro familia. ibidem.
§. 389. Ratio, quam affert Varus, æquè probaret peti poſſe pro aliis,quàm pro offerentis familia. 312.
§. 390. Tertia Vari ſuppoſititio de

animabus in Cælum evolantibus, etiam ſi admittatur, non probat quod intendit. 313.

§. 391. Quod credunt Sinæ præſertim hodierni, & de ſtatu animarum, nimis implexum, ambiguum eſt, quàm ut in eo fundari poſſit ratio oblationum funebrium. 314.

§. 329. Quid ſentiant Sinæ de ſtatu animarum poſt mortem, indicatur ex Trigautio, & Furtado. ibidem.

§. 393. Quid ſignificant voces Sinicæ: *Chi chi King ye*, Confucio à Varo attributæ. 315.

§. 394. Varo, & Navarrettæ Dominicanis opponuntur alii duo Dominicani Sarpetri, & Lopez in explicatione literæ *ci*. 317.

§. 395. Attingitur ad extremum objectio Doctoris Pariſienſis ex Ordine S. Dominici, de conformitate idololatriæ Græcæ, & Romanæ. ibidem.

§. 396. Reſpondetur oſtendendo inanitatem hujus objectionis. 318.

§. 397. Unde mutuatus ſit Doctor Pariſienſis titulum ſui libri. 319.

§. 398. Declaratio Domini Maigrotii

grotii Jeſuitas defendit adverſus libellum Doctoris Pariſienſis. ibidem.
§. 399. Concluſio totius ſcriptionis. 321.
§. 400. De æquitate Jeſuitarum in cauſa Sinenſium Rituum: ubi & quid hic intendant? Ac demum producitur pars Decreti Alexandri VII. ad hanc cauſam pertinens. 322.

FINIS.

Errata præcipua ſic corrige.

pag.7. lin. ult. *lege* conſtitutam.
pag.12. lin.18. *lege* eumque.
pag.16. lin.23. *lege* uterque.
pag.17. lin.11. lege *antiquis Sinarum.*
pag.22. lin.10. lege *Kiayu.*
pag.28. lin.12. *lege* cap.5.
pag.29. lin.19. *lege* apotheoſim.
pag.32. lin.11. lege *reſcrire.*
pag.36. lin.19. lege *idolorum*, & lin. 24. lege *officit.*
pag.40. lin.5. *lege* vocabularium.
pag.44. lin.2. *lege* ſtatas, *& lin.*4. Ritualibus, *et lin.* 16. detegendam.
pag.46. lin.11. poſt veniebat *adde.* & manebat, & lin.17. *lege* Reſpondeamus.
pag.47. lin.6. *lege* ſive *pro* ſcire, & lin. 18. *lege* celebri *pro* celeri.
pag.50. lin.14. *lege* 37. *pro* 31.
pag.56. lin.6. *lege.* reponendum *pro* reſpondendum, & lin.24. lege *deſtruitur.*
pag.59. lin.19. lege *herbis* pro *verbis.*
pag.64. lin.9. *lege* et ſi *pro* Aſt: & lin. 19. *poſt* reliquis *adde* ſecernere.

pag.

pag.66. lin.15. *lege* Id *pro* In.
pag.67. lin.2. *lege* nomine.
pag.7c. lin. 17. *lege* 1661.
pag.76. lin.18.lege *ſubitum*:& lin.24. dele totum uſque ad §. 92. ſequentis paginæ.
pag.79. lin. ult.*lege* ubi *pro* uti.
pag.85. lin. ult.*lege* aſcendente.
pag.87. poſt lin. ult. *addatur* exiſtimare Animas defunctorum venire, & aſſiſtere.
pag.90. lin.9.*lege* eiuſque *pro* cujuſque.
pag.103. lin.20. *lege* approbato, & aucto.
pag.110. lin.1. *lege* ſuperſtitioſis *pro* politicis.
pag.116. lin.6. *lege* collem *pro* calle.
pag.126. lin.9. *lege* admoneri.
pag.145. lin.25.*lege* incubuerint.
pag.175. lin.ult. *lege* nec *pro* de.
pag.187. lin.22. *lege* Imperatrice.
pag.189. lin.7. *lege* habeant.
pag.191. lin.ù1.*lege* quin *pro* quàm.
pag.236. lin. 21. *lege* Taò *pro* Faò.
pag.240. lin.25. *lege* quæſtio *pro* quæſitum.
pag.250. lin.ult.*lege* Tò *pro* Tè.

pag.

pag.272. lin.10. leg. *eſt* pro *&*.
pag.280. lin.20. lege *unquam* pro *in-quam*.
pag.300. lin.6. *lege* munito.
pag.304. lin.6. *lege* causâ.
pag. 309. lin. ult. lege *offerunt*.
pag. 320. lin.21. *lege* humanâ.

A01 1470560